DE HUMANA LIBERTATE

PHILOSOPHICA DISSERTATIO

AUCTORE

PETRO=HIERONYMO

TORTORELLI

Ex Clericis Regularibus Scholarum Piarum

QUAM

PUBLICE PROPUGNANDAM EXPONIT

D. HIERONYMUS CIFALDI


Beneventi in Collegio ejusdem Ordinis Philosophiæ, & Matheseos Auditor.



BENEVENTI Ex Typographia Archiepiscopali)(A. D. MDCCLXX.

SUPERIORUM FACULTATE.

DE HUMANA LIBERTATE
PHILOSOPHICA DISSERTATIO.



Umanam Libertatem vindicaturus contra Bælium, Collinium, Spinozam, Hobesium, Tolandum, Helvetium, Voltairium, Fatalistas, Casualistas, aliosque tum veteres, tum recensiores, impios hercle Philosophos, at magni nominis, terreor illicò turba adversariorum, atque scientia, & ne parem animi magnitudinem in nobis contradicentium impediat auctoritas, aut responsionum mearum infirmitate exultent illi, viresque sumant, non mediocriter pertimesco. Sed me recreat, & reficit caussæ meritum, in qua tanta est lux veritatis, tanta rerum in dicendo copia, ut oratio nemini deesse possit, & genus quodcumque adversum, infestumq; nobis philosophorum, si quid argumentatione conficitur, parum difficili negotio refutandum fore confidem. Ratio enim habet in se quiddam amplum, atque magnificum, dicam cum Tullio (a), altum quiddam, excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum.

II. Illud vero, antequam ulterius provehar, est advertendum, me hic de hominis libertate solummodo, non de Universa Metaphysica quæstionem instituere, ita ut pro certis habenda sint plurima, quæ in cœteris Psychologiæ, & Naturalis Theologiæ disputationibus demonstrantur, & quorum apud alios sanæ mentis, Fideique Philosophos plena est ubique tractatio. Sunt enim nonnulla, ex Hobesio præsertim, atque Bælio, item Helvetio, & Voltairio contra Liberum Arbitrium desumpta argumenta, quæ vi proprii systematis vinculum commune habent cum Scepticismo, Materialitate mentis, hominumq. Physica sensibilitate, aut cum Atheis Creatorem, Remuneratoremque negantibus, quæque si vellem omnia hic refutare, ab instituto longius, quam par est, abiret Oratio. Postulo itaque, ut concedatur, Creatorem verè Existentem perpetuò homines non deludere, animumq. ita effecisse, ut non certitudo solum, sed & Logica veritas habeatur in iis, in quibus ex idea clara, intima conscientia, & communi optimorum certitudine assensum cohibere non poterit. Postulo animam Spiritualem esse habendam, diversamque a materia substantiam, quippe quæ vi cogitandi prædita est; & ejusdem mentis simplicitate supposita, ne a Deo quidem id effici posse, ut cum intellectione motricem vim, quæ corporum propria est, simul illa possideat.

A

(a) *De Fin. lib. 2.*

sideat. Neque mihi nimium ab adversariis concedi putet aliquis: Qui enim Doctrina, & acumine pollent, nos hic contra rectam rationem, quæ magistra est veritatis, nil postulasse cognoscent.

III. Atque ut unde exorta est, illuc quoque redeat Oratio, sciant omnes de Libertatis existentia, non vero de ejus præcipua sede nos caussam agere, utrum nempe, ut in scholis vulgatum est, sit qualitas voluntatis, an cum Lochio (a) facultas animæ propria: ineptum fortasse negotium. De Hominum enim actibus tantummodo proposita mihi est disputatio, an eligant illi inter plura, & se indifferenter in agendo determinent, an vero, uti oscillantia Pendula, Planetæque in orbitis retenti, necessitate aliqua compellantur. Doleo tamen mecum ipse nitidam illam Libertatis ideam tot quæstionibus, & Philosophorum dissidiis fuisse obscuratam, ita ut obiiciant ea sæpe numero adversarii, quæ nos ultró concedimus, immo ad arbitrii indifferentiam prorsus necessaria defendimus, quod est in Collinio præsertim, & Voltairio notatum; & non raró (fateamur in nostris quoque defectum) ipsi pro Libertate agentes Philosophi difficultatibus invictè non responderint, novosque præbuerint veritatis oppugnandæ cuniculos: Ita planè: authorum fortasse plurium ingenia non alio prorsus animo in quæstione hujusmodi se videntur exercuisse, quam ut eam redderent obscuriorem.

IV. Analiticè itaque rem prosequamur, & quod in nobis actù est, Liberum Arbitrium investigantes, non quod aliqui temerè voluissent, communem hominum in agendo modum intimo sensu examinemus; de quo tandem aliquando si nobiscum adversarii convenerint, ut nomen ei quodcumque tribuant, sive Libertatis, sive Necessitatis, non repugnabimus. Hæc equidem via Syntheticis sophysmatum recessibus orbata refractarios ipsos nobiscum leniter trahit, & planiorem veritati dat aditum, teste præ cœteris Platone, Verulamio, atque ut nostri ævi merito laus non denegetur, Domino de Condigliac, quibus candide fateor, me teneri, si quid unquam profecerim in quæstionibus non theoreticis tantum, atque eruditis, sed & practicis quoque, & fortasse vulgaribus dissolvendis. Ubi advertendum, me hic prædicta methodo disputantem minuta quæque consectari, & sæpe procul videri ab instituto themate recedentem: Sed ibi erit fortasse, quod mea magis interest: Hæc enim singularia intelligentes, quomodo veritas ipsa progrediatur, agnoscent: eumque pluries idearum servabo ordinem, ut non sit, nisi simplex, quidquid immediatè præcedenti adjungitur, & idcirco demonstratione non egeat.

V. Age ergo exordiamur, & ex ideis caussarum mechanicarum singularibus ad modum agendi, quem habet anima, adsurgamus. *Necessarium* communi vocabulo illud est, quod ita existit, ut ejus oppositum

sit

(a) *De int. hum. L. 2. c. 21. §. 14.*

fit intrinsecus impossibile; unde & unico modo determinabile, & natura sua immutabile perseverat, quales habentur Mathematicæ propositiones, ite n essentiæ rerum omnium, & quidquid ab essentiis hisce dependet, sive attributum substantiæ sit, sive modorum possibilitas, uti & illa denique Primi, summique Entis Existentia, quæ ab Essentia ipsa determinatur. At necessarii contradictorium, sive *Contingens* ita existit, ut nullum sequeretur, si non adesset, absurdum: cujus perpetua sunt exempla in rerum modis, & in existentiis substantiarum, quæ non a propriis essentiis, sed ab Ente diverso dependent, si scilicet supponamus, & ipsum externum Agens esse contingens, aut agere saltem ibi sine ulla naturæ necessitate, quamvis Existentiam habeat necessariam. Quibus ad quæstionem clare explicandam propositis nominum definitionibus, fatentur omnes, & ipsa contingentia aliquam habere necessitatem, quia scilicet eo illo, quo existunt, tempore, impossibile est, ut non existant: sed contingentium illa necessitas, cum à causa necessario posita non determinetur, non est absoluta; & effectus ibi producitur *hypothetice* necessarius, sub ea nempe data hypothesi, quæ sit ipsa contingens. Non est hic locus, in quo dari in Universo Contingentia absoluta demonstrem, hæc abundè infrà ostensurus, ubi de Fato sermo erit. Supposito hic igitur, quod plura contingenter existant, nemo est inter adversarios, si Fatalistas excipiamus, qui Animæ actionibus illam deneget, quam usque modo definivimus, contingentiam. Sed non est in hoc tantummodo, quod contendimus. Ipsa enim contingentia, sicuti essentiam habent necessariam, & attributa, quod patet ex Ontologicis, ita & necessariò agere possunt, dummodo actionis actualitas ab essentia dimanet, aut ab externo Ente aliquo, cujus ibi viribus resisti non possit; neque alia est agendi ratio in corporibus omnibus, quæ idcirco mechanicæ, & necessariæ causæ, licet contingentes, appellantur. Quis enim prohibet, aliqua principia nulla ex necessitate produci, quibus tamen positis de necessitate sequatur effectus? Ita mors animalis necessitatem physicam habet, cum illud ex contrariis componatur, quamvis ipsum ex contrariis componi non fuisset absolutè necessarium.

VI. Duo autem sunt, quantum video, mechanismi, & necessitatis hujusmodi caracteres. *Physica*, inquam, primò *caussa* est, quoties effectus ab ea substantia non dimanat, in qua observatur, sed ab externo fit in ipsa, quo quidem in casu patitur substantia illa, non agit: Secundo autem, quamvis agat ipsa, iterum *mechanica* est, si vis ejus non sit indifferens ad plures, diversosque producendos effectus, sed determinetur ad unum, ita ut positis omnibus ad agendum requisitis potentia careat, qua nullo modo, vel saltem aliter operetur. Puta, si fluidis acidis misceantur Alcalini sales in aqua soluti, mechanice, & necessariò ex Legibus recensitis ingentes ebullitiones eveniunt. Unicum enim motus initium habetur ab externa caussa, quæ illa permiscet: inde equi-

dem effervescunt, & cum impetu attrahuntur, atque resiliunt, motu, inquam, perpetuo, quo sese atterunt, diffringunt, invicem conjunguntur. Agit nempe etherrogenea partium in mixtione congeries: Sed negatum eis diversum, oppositumque prodere effectum, quin effervescant, negatum irregulariter in ebulliendo desistere, negatum compescere motus, dum excussi Sales ruunt in acida. Si ostendam igitur animæ volitiones esse hujusmodi, ut in iis non patiatur illa, sed agat, II. in agendo mentem ad unum non determinari, sed esse ad plura indifferentem, ad operandum scilicet, vel non, ad hoc, vel aliud toto Cælo sæpe dissitum, quantane veritatis certitudine animam a mechanicis caussis auferemus? Videte itaque rerum tractandarum ordinem, videte summa veluti capita dissertationis Universæ.

§. II.

VII. AC primò quis non intelligit, utrum anima in volitionibus, & nolitionibus suis agat, an patiatur? Actio quidem substantiæ est effectus in illa productus, cujus ipsa sit caussa totalis efficiens; paturque subjectum, si alterius actionem recipiat, effectumque producat, cujus vel unica, vel multiplex caussa efficiens sit integre, atq. solum in Entibus ab illa diversis (a). Jam vero Ego intimè sentio, *Me* deambulationem velle, dum ambulo, *Me* quidem, & non alium vel induresceere in pravum, vel studia, atque mores commutare in frugem meliorem, *Me* plurium motuum in corpore, inclinationum in anima talem esse caussam efficientem, ut certè non fierent, si anima nollet. Id autem ita in me sentio, ut quamvis vellem, de eo dubitare non possem, idquè ipsum negantes exterius, ex intima conscientia se loqui, nequeant jactitare. Nonne enim diversum distinguis esse animi sensum, si vi aliquis manum tuam flammæ obiiciat, ac si novus veluti Scævola dexteram tu ipse injicias ad comburendum? Unde vero hæc diversa animi apprehensio, si æqua in utroque casu passionis conditio?

VIII. Di-

(a) *Passionem communiter definivere Philosophi per effectum, cujus caussa efficiens est substantia diversa ab illa, inqua phenomenon observatur. Cum autem sua Præmotione Deus constituatur vera caussa efficiens Physicæ Entitatis nostrarum actionum, de quo infrà, latebit fortasse error in definitione vulgari, quod anima idcircò nostra non agat, sed patiatur, ut revera deduxit Malebranchius in systemate caussarum occasionalium. Hinc Ego insuper addidi ad naturam passionis constituendam, talem requiri externam caussam, sive unicam, sive multiplicem, ut in agendo sit sola: unde actiones nostræ erunt verè actiones, non passiones, eo quod earum Deus simul, atque homo sunt caussæ totales efficientes adæquatæ, licet Deus, ut caussa prima, homo vero ut caussa secunda a Deò mota, & ideò se movens.*

VIII. Dicet fortasse Spinoza (a) homines nec per somnium cogitare de caussis quibus ad appetendum disponuntur, cum sint earumdem ignari, & illam omnem distinctionem, qua intimè secernimus passiones ab actionibus nostris, inde oriri, quod in illis caussa cogens est cognita, in istis vero invisibilis, & incomperta. Sed & ipse non loquitur, quæ in animo sentit. Dum enim ab externo aliquid patimur etiamsi versemur in ignoratione caussarum agentium, scimus tamen, & intimè sentimus, vim alienam, quamvis incognitam, nos experiri; eosque effectus secerni oportere clamamus ab iis, in quibus absque ulla externa coactione movemur. Fingat se Atheus iste maleficiis affectum (cum enim voluntas a nemine cogi possit, non video quid aptius afferam, ad eam hìc aliqualis violentiæ conditionem exprimendam, cujus caussa sit incognita), & plura simul conari viribus medicaminum, in aliis etiam impediri, cum interim alienam supra se nesciat actionem: pueris potissimum narrabit Spinoza, se in hisce actibus vim quamdam non experiri, eundemque habere conscientiæ sensum, ac si cœtera extrà maleficium voluntariè ageret, in quibus similem reverà coactionem esse contendit. Aliud quippe est alienam vim nullo modo sentire, aliud, quæ violentiæ caussa sit, non cognoscere. Quam bene ajebat Tullius in quæstionibus Tusculanis (b) = *Sentit animus, se moveri* (hoc est agere) *quod cum sentit, illud unà sentit, se vi sua, non aliena moveri* = Est hæc equidem in ingenii levitate perversitas, ut discrepent adversariorum facta cum dictis. Dum enim inquiunt sæpe sæpius: *cras absolutè id efficiam, vespere ero tecum*· nonne ex animo id asserunt? At profectò non dicerent, nisi sentirent interius, futuras illas actiones a se ipsis pendere, neque in se fieri ab alio. Quibus ita positis animadverto, principia illa *Ego Cogito, Ego Sum*, non alia quidem de caussa, uti primas veritates agnosci, nisi quod cogitationis, & existentiæ nostræ sumus intime conscii. Quâ autem conscientia sentio, me cogitare, atque esse, eadem illa cognosco, me velle, eadem prorsus expedior, nullum externum agens invictè me trahere ad effectus plurimos producendos (c). Quod si in illis etiam, quæ clarè sentiunt omnes, falsitatis esset dubitatio, actum foret de certitudine, & in medium Pyrronismus inductus, quem falsum esse postulavimus.

IX. At

(a) *Eth. P. 1. in append.*

(b) *L. 1. c. 23.*

(c) *Habet profectò animus in agendo motiva, scilicet boni, & mali perceptiones, item corporis constitutionem, & alia, quibus ad eligendum inducitur. Sed ostensurus infrà §. tertio, hæc regere vim agendi, quam habuit anima a Creatore, non vero illam producere, nihil hic moveor. Agat enim ex motivis, aliisque concaussis: Sed tamen agit, & non patitur, quod hic unicè contendebam.*

IX. At Bælius veritatis, & erroris cujuscumque simul oppugnator atque defensor adductum propriæ conscientiæ argumentum variis difficultatibus infirmare nisus est, quas nostrum erit ad æquam lancem revocare. Sentio, ait ipse (a), me existere, & scio tamen, me non existere a me ipso: ita quamvis intime sentiam, me velle quod placet, non sequitur nihilominus, me id velle ex me ipso. At fucum ignaris facere contendit adversarius. Sentio enim, me existere, sed interim sentio me non existere ex me ipso: at sentio me velle, quod lubet, & eodem tempore sentio, *Me*, & non alium id velle, immò & integram nolendi mihi esse potentiam. Et hæc quidem est perfacilis, & per expedita defensio. Quid vero ad hæc Bælius? Quamvis, reponit, homines mechanicè agerent, & integrè paterentur, eundem nihilominus sensum haberent, quasi vellent, ex se ipsis. Sed hoc ab adversario nulla ratione, nisi pure hypothetica, probatur, & interim falsum est. Quis enim rerum omnium tam ignarus, tam rudis invenitur, quæ gens tam barbara, ut non cognoscat, quoties ex seipsa velit, & quoties a vi externa trahatur? Video quidem, video, penitusque perspicio, utrum contra propriam animæ lubentiam exurgat quædam cogitatio, puta Defuncti Parentis memoria, an idem ipse sit animus, qui talem imperet ideam: & interim cum hoc apertè sentiam in diversis perceptionibus, quas una, eademque efficit anima, sed modo externæ motionis incitamento, modo vero ex se ipsa, non distinguerem inde volitiones, quarum nullatenus caussa essem, sed integrè in me fierent ab alio? At caussa efficiens, instat ipse Bælius, effectum, & rationem, qua producatur, agnoscit: anima vero volitiones, ideas, corporisque motus ignorat, immo & modum præcipuè, quo illa eveniunt: unde eorum prorsus caussa non erit, sed merè subjectum, vel si mavis, instrumentum.

X. Pyrius ergo pulvis vel aves non occidit, vel earum internecionem agnoscit? Sed neque ignis tam admiranda producet, neque corpora unquam causæ erunt, quibus effectuum cognitio convenire non potest. Quid non mortalia pectora cogis, dissentiendi cupiditas? Caussæ quidem in Universo sunt plures, materiales scilicet, Spirituales, & Prima Omnium Increata, nempe Deus. Illæ penè infinitos producunt effectus, quos perpetuò experimur, & nihilominus nullam eorum habent ideam: Secundæ vero, quamvis modum in agendo ignorent, intimamque propriarum actionum essentiam, vident tamen suas ideas, noscunt volitiones, distinguunt corporum motus ex arbitrio productos.

Nos

(a) *Vide Actus Trevoltiens. an.* 1706. *mens. Junii art.* 74., *ubi plurima Bælii referuntur circa Libertatem, atque Prædestinationem, quorum nonnulla validiora hic confutamus. Ea autem Bælius affert in responsione ad quæsita Provincialis præsertim c.* 140.

Nos equidem id benè sentimus : Et pluribus ostensum est a Lokio (a) atque Condigliac (b) contra Leibnitzium non dari in anima ideas, absque eo quod ipsa advertat, se cogitare, sive, ut ajebat VVolphius, appercipiat. Nego itaque allatum ab adversario principium, caussas quaslibet non posse effectus producere, nisi & eorum essentiam, & peculiarem producendi rationem agnoscant: atque id solum de prima caussa efficiente, sive Creatrice concedimus, non vero de aliis secundariis. Et ratio utriusque non deficit. Cum enim debeat effectus quicumque produci secundum aliquod primum exemplar, hoc autem esse non possit, nisi in ideis Creatoris, qui alium supra se non habet, a quo veluti ab archetypo dependeat, videbit, necessario Deus, si Creator est, in ideis suis effectuum naturam, & modum insuper efficiendi. At causæ aliæ quæcumque possunt non habere in se ipsis hæc prima rerum exemplaria, uti revera non habent (est enim præter ipsas alia prima caussa Superior): unde effectus producere poterunt, quin eos agnoscant. Neque caussarum, & effectuum ideæ, ut observavit Lokius (c) notionem aliam involvunt, nisi eam, ut hic, sive substantia sit, sive Qualitas, ab illius actione existentiam habeat dependentem: quod equidem in caussis Dei Providentia singulari ordine ad finem dispositis eam, quam Bælius asserebat, cognitionem non requirit.

XI. At futile est id averfario qui caussas omnes secundarias de medio tollens unicam tantummodo admittit, nempe Deum, eo quod satis, ut inquit, a Cartesianis ostensum est, nil agere Creaturas, & esse Deum solummodo Agens Universale. Fateor equidem id credidisse Cartesianos in systemate caussarum occasionalium, demonstrasse vero, nequaquam. Cur hæc argumenta non attulit ipse Bælius, ut cœteri quoque vim tantæ demonstrationis intelligerent? Ego illam non video. Certè quæ unquam pro hoc systemate dici potuerunt a Malebrankio (d), & a Cartesio, a quo sententiam hujusmodi fuisse desumptam critici putant, item a sectatoribus Sylvano Regis, Sturmio, Cordemois (e) aliisque, fusè afferuntur ab auctore Operis = Actions de Dieu sur les Creatures = atque ad hoc collimant omnia: Creaturam nil posse a se ipsa producere, cum ista sit soli Deo reservata proprietas, ita ut neque corpora motus exerant, neque animæ ideas, sed utrumque Creator efficiat, in anima scilicet occasione motionum corporearum, in corpore occasione perceptionum animæ. Hæc, inquam, est, si Bælio credamus, demonstratio: reor autem, nec inconsultò, Bælium ipsum minus fortasse, quam nos, eo argumento moveri. Quis enim ignorat, unicè Dei proprie-

B tatem

(a) *De int. hum. L. 2. c. 27.*
(b) *Essai sur l'orig. des connoiss. hum. t. 1. sect. 2. c. 1.*
(c) *De int. hum. L. 2. c. 26. §. 1.* (d) *Dialog. 4. & 7.*
(e) *Dissert. 4. de distinct. Anim., & Corp.*

tatem esse, ut aliquid producat, si in hac facultate independentiam quoque, prout habetur in ejus natura, respiciamus; cæteris vero Creaturis illam posse ex gratia, ut inquiunt, communicari, dummodo effectus dependenter a prima caussa producantur? Qui vim habet sibi propriam, & ab alio neque receptam, neque conservatam, ille agit *independenter*, qualis est Solus Deus: actio autem *dependens* est in eo, qui vi utitur ab alio recepta, & cujus perpetua est apud Largientem conservatio. Hoc equidem convenire potest Creaturis. Quodnam enim absurdum sequitur, si dicamus, Deum dedisse nobis agendi vim, sicuti tradidit benignissimè essentiam, existentiam, & alia plura, quæ propria sunt in Creatore, sed communicata simul eo, quo potest fieri, modo Creaturis? Omnipotens ergo Deus, & Sapientissimus non valuit tales efficere secundas caussas, quæ agerent vi semel recepta, & semper ab ipso conservata? Non potuit, ajebant Malebrankiani: at ego hujusmodi impotentiam non video, neque illam ostendent unquam adversarii. Præsertim vero si observemus, nos oppositum sentire in nobis ipsis. Animadvertit enim quisque, animam quoque suam, non vero Deum solummodo movere corpus, & vicissim; animadvertit, quod supra dicebamus, discriminis esse plurimum, dum agit ipse, vel dum alteri est caussa occasionalis, ut agat. Nullum ne Moyses agnoscebat esse discrimen inter baculi motum, qui efficiebatur ab ipso, & effluxum aquarum è silice, cujus simpliciter erat caussa occasionalis (a)?

XII. Scio Fatalistas objicere, incommunicabilem esse potentiam incipiendi motum, quam nos esse defendimus in hominum animabus, quia nempe, ut inquiunt, exprimit illa realem independetiam a caussa Superiori. Sed jurè clamabat Samuel Clarkius (b) ludere hic in verbis adversarios. Ipse enim corporum motus incipi potest independenter, uti movit Creationis initio Planetas, atque sydera Deus, & dependenter, uti brachium ego anteà quiescens extollo, ea nempe potentia, quæ mihi tradita est a Deo, & quæ non duret, nisi quamdiù ille voluerit. Anne existendi facultas, quam habemus, non auferet a nobis contingentiam, & sola agendi vis erit independentiæ argumentum? Agimus aliena virtute nobis tradita, uti aliena facultate in existendo perduramus.

XIII. Piget me immorari in confutatione Malebrankiani Systematis,

(a) *Nemo hic mihi jurè succenseat, si scribens contra viros, ut plurimum Atheos, libertatis osores, utar miraculo Moysis, & historia Scripturarum. Non est enim in exemplo argumentum, sed in illa eventus conditione, quæ efficientem caussam simul adjungat occasionali. Quod si de allata hystoria contendere velint aliqui, non inficiabuntur tamen, se pluries in se ipsis distinquere, dum in rebus quoque vulgaribus præstant tantum effectibus occasionem, & quando sunt veræ caussæ efficientes.*

(b) *De exist. Dei t. 1. cap. XI.*

tis ; quod , teste Clerico (a) præcipuum , & unicum fortasse habet fundamentum in humanæ rationis infirmitate . Cum enim necessario nexus esse debeat caussam inter , & effectum , negarunt plurimi corpora a corporibus moveri , & hæc denique ab animis , eò quòd inter Spirituum voluntatem , & motum corporis ; item inter impulsum hujus , & alterius translationem de loco in locum nullam connexionem animadverterent . Utrum vero liceat Philosophis inficiari , quæ intimè sentiunt , ea potissimum de causa , quod virium transfusionem non intelligant , Bælius ipse judex esto . Prætereà is præbet alteri occasionem agendi , qui talem posuit conditionem , qua data se acturum esse alius determinavit . Cum ergo Creaturæ ad hasce conditiones ponendas debeant agere , contradictorium erit in terminis Malebrankii sistema : Scilicet si Entia Creata nullam vim habent , nec etiam esse poterunt Deo causæ occasionales, sed erunt pura instrumenta quæ causæ nomen non merentur , & ipse Deus tum erit caussa rerum efficiens tum occasionalis , quod nolunt Cartesiani . Prætereo hic autem de medio tolli , hisce positis , verum animæ, corporisque commercium , neque animam ulli usui esse corporibus , neque corpora animabus ; prætereo fieri Deum Animam Universi , & alia absurda infinita , quæ integram tractationem requirerent . Legatur tamen , si lubet , præ cœteris Lokius (b) & Gregorius Pritius de *Enthusiasmo Malebrankii*, atque VVolphius in Phsycologia Rationali (c) . Sciat vero Bælius recocta , & penè exoleta esse in Scholis argumenta , quibus jactitat omnimodam Creaturarum inertiam ostendisse Cartesianos . Eorum enim sententiam ex mente plurium Philosophorum inter Saracenos adduxit D. Thomas (d) & quinque abhinc Sæculis confutavit . Immò candidè fateor tot ibi pro adversariis objici difficultates , quot fortasse unquam invenire nequiverit Malebranchius (e) . Cum itaque ostendisset

(a) *Ontol. c.* 10. (b) *Œuvres diverses tom.* 2.

(c) *Sect.* 3. (d) *Cont. Gent. l.* 3. *c.* 69. *& seq.*

(e) *Scio ingenia nostri ævi delicatiora Angelici Doctoris, quem laudis caussa nomino , opera fastidire , eò quod Scholasticis , ut plurimum , formis , & ideis proprii sæculi sint referta . Sed fortasse nil solidius afferunt recensiores Metaphysici , si dimicent pro veritate , nil objiciunt acutius , si contradicant . Testes hic solum eos appello , qui tanti viri scripta legerunt: alii enim si de ipso judicant (quod utinam sæpe non facerent cordatorum hominum patientia abutentes) præstant eadem , quæ cœci de coloribus . Cœterum ajebat Tullius de Epicuro in II. de Finibus = contemnit ille disserendi elegentiam : gerendus est mos, modo rectè sentiat. = Anne arundines vacuas agitabunt Philosophi , totis viribus indelectu verborum occupati , seria relinquentes ?*

laudatus Doctor (a) virtutem inferioris agentis; nempe hominis dependere a virtute Superioris, scilicet Dei, qui eam tradidit, conservat, & applicat ad agendum, pluribus inde demonstrat, utrumque Agens, hominem videlicet atque Deum, inveniri caussam immediatam effectuum, qui fieri a nobis observantur (b). Quoniam vero sibi objecit, superfluum esse, duas unici, & ejusdem effectus caussas assignare, quod coincidit, ni fallor, Malebrankianis asserentibus breviorem fore viam, si Deus tantummodo agat in Creaturis, idcircò respondendum est, Omnipotenti esse omnia æquè facilia, & illud, si nostro quoque modo loqui velimus, convenientius esse Deo, quod ejus finibus magis correspondet. Quomodo vero consistet finis in Creatore ostendendi gloriam suam, si Creaturæ admittantur inertes absque ulla vi agendi, neque merendi, aut demerendi, sed ipse solus agat, absque ulla vi cogitandi, sed ipse solus intelligit? Quibus præterea solidissimam D. Thomæ responsionem adnectens = *Patet*, inquam cum ipso, *quod si res naturalis producat proprium effectum, non est superfluum, quod Deus illum producat, quia res naturalis non producit ipsum, nisi virtute Divina; neque est superfluum, si Deus per se ipsum potest omnes effectus producere, quod per quasdam alias caussas producantur. Enim hoc est ex immensitate bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solum quantum ad hoc, quod essent, sed etiam quantum ab hoc, quod alior im causæ essent* = (c).

XIV. Hic vero est, ubi invictissimum argumentum se adducturum Bælius pollicetur. Creationis, inquit ille momento solus Deus agit, non Creatura, quæ adhuc non existit: At conservatio est perpetua Creatio: quo usque igitur Creatura conservatur, non magis agit, quam suæ productionis instanti: numquam itaque agit. Sed apage, Doctor, ne cum acutissimus videaris, hic arguas in falso supposito. Credit nempe Bælius, Divinam Universi conservationem esse in eo, ut singulis ille momentis de novo Creet, postquam scilicet Creaturas singulis momentis annihilaverit. Quæ enim aliter esset ejus difficultas, quæ vis unquam argumenti?

(a) *Ib. q.* 70.

(b) *Hic tantum a nobis ostenditur, hominem esse caussam propriæ actionis, sed constabit inferius, Deum etiam sua Præmotione agere in actibus nostris: & ibi videbimus, hujusmodi Supremi Numinis actionem humanæ Libertati non officere.*

(c) *Dicet hic fortasse aliquis, me Theologum agere, non Philosophum, utpotè qui Patrum auctoritati satis innitar: sed ubique contra adversarios petenda sunt arma, & vis rationum a Patribus adductarum invictè me trahit ad illos. Quod si Doctorum auctoritatem nolint plurimi admittere, revincantur saltem firmissimis, quæ illi afferunt, argumentis, cum & ego Patrum auctoritatem de Theologicis agens constantissimè venerer, eorum vero rationes ex Philosophia loquens quam plurimi faciam.*

ti? Ne autem aliquis suspicetur, falsò a nobis affigi Bælio hujusmodi suppositionem, revolvite quæso argumenta, quæ ab ipso pro Scepticis adducuntur (a), ubi inter cœtera ait: nescire nos, utrum eadem numero anima hodierna die adsit in nobis, quæ nudius tertius habebatur, ea potissimum de caussa, quod ignoremus, an Deus perpetuò res conservando, de die in diem mutaverit illam in nova Creatione, an vero eandem iterum constantissimè produxerit. Sed hoc est, quod in superiori objectione arguebamus. Falsum est enim, substantias incessanter a Deo annihilatas continuò de novo creari: sed crebris illud sermonibus usurpatur = *conservatio est nova creatio* = eo quod scilicet Divino auxilio indigemus ad perdurandum, sicuti egimus illius ope, ut existentiam inciperemus, ita ut idem Divinæ Voluntatis actus, quo animam, & cœtera conservat, sufficeret ad illa ex nihilo extrahenda, si non existerent. Tali enim pacto dependet quælibet secunda caussa a Creatore, ut neque ad momentum subsistere posset, sed abiret in nihilum, nisi Divinæ virtutis actione retineretur; quò scilicet illud efficitur, ut perpetuò non creentur, & annihilarentur substantiæ, sed ut equidem annihilari deberent, nisi conservarentur. Revera cur indiget anima, ut a Deo conservetur, nisi quia effectus debet a caussa dependere? Effectuum autē dependentiæ a principiis consistunt in eo, quod sine suis caussis esse non possint, non vero, quod causæ singulis momentis eos producant, & singulis cessent a producendo (b). Quibus positis Bælio respondemus, non posse agere animas, antequam sint, sed posse quidem, & absque dubio, postquam productæ fuerint, licet nihilominus tum egeant Dei conservatione, qua illas in existentiæ, & virium munere jam concesso retineat. Et objectioni satisfecimus, quam tanto apparatu tum Bælius, tum Spinoza variis in locis, tum Pomponatius (c) adduxere, quamque prius, licet aliud agens, sibi objecerat, atque dissolverat D. Thomas (d), ubi rerum conservationem contendit non fieri a Deo per novum quemdam actum, sed per simplicem perdurationem illius, quo dedit esse.

XV. Qui animam corpoream esse statuunt cum Hobesio, Tolando, Campanella, Vanino, Thelesio, Helvetio, aliisque, nullam in illa ponunt propriè dictam actionem, de qua modo contendimus, sed physicam quamdam substantiæ sensibilitatem, scilicet passionem necessario pro-

(a) *Artic. Pyrrhonis*

(b) *Id clarè etiam explicaverat Leibnitzius in sua Theodicæa t. 2. Par. 1. §. 27., quo in loco addit auctor notarum = Igitur conservatio non differt a Creatione, nisi formaliter, quatenus in idea Conservationis præsupponitur existentia, in idea Creationis, non item. Creatio procedit ab eo, quod nondum est, ad id, ut jam sit: conservatio autem pergit ab eo, quod incœpit esse, ad id, ut deinceps sit. Vide Bilfingeri Dilucid. Philos. §. 468. =*

(c) *In Il. de Fato* (d) *Loco nuper citato ad 4.*

productam ab objectis, quæ nos amplectimur, vel adversamur. Ideæ enim, atque volitiones nil aliud per eos esse possunt, nisi motus organorum, & partium conatus in agendo, & reagendo (*a*): & Helvetius in opere, quod inscripsit de Spiritu, cum interim nonnisi de re corporea loqueretur, postquam asseruit nil esse in homine activum, sed unicam sensibilitatem physicam brutis quoque communem, a quibus nonnisi externa organizatione se distinqui (*b*) jactitabat, concludit (*c*) opus esse, ut nostræ cogitationes, & voluntates sint immediati effectus, & necessarii impressionū, quas ab objectis circumpositis undequaque recepimus. Non est hic equidem locus, ubi demonstremus, in sensatione præter motum corporis adesse aliam animæ actionem toto Cœlo diversam: hoc enim ostensum supra postulavimus: sed tamen opus est, ut volitionis actum a Physico motu secernamus, & actionem quamdam fieri, dum volumus, quæ mechanica nullo modo sit, ostendamus.

XVI. Fingat se quispiam cum Illustri Comite Magalotto, a quo ista derivamus (*d*) ob acceptam injuriam valido iræ affectu agitatum. Repræsentatur ei Voluptas, & Gloria vindictæ: ebullit citissimè Sanguis, bilis exundat, facie inflammatur, se ipsum, & membra non continet, tremit Universum Corpus, & vox, oculi obnubilantur. En motum in membris verè mechanicum. Sed hic ortum habuit in quadam diversi generis actione, scilicet animæ appetitu, quæ nisi de vindicta cogitasset, non videret hujusmodi membrorum tempestatem excitari. Præcessit enim aliqua, fortasse etiam innocens, sed vera tamen animæ apprehensio. Interim Corpus in mentem tanto impetu reagit, ut majorem faciat ei vim obediendo, quam illa membris non fecerat, imperando. At hisce non obstantibus, cum aliquoties resistat animus, & iracundiam, ultionemque cohibeat, supponamus, quod crebrò accidit, eum illicò non triumphare, ut diù in obtinenda victoria decertet, & modo illam velit, modo contra luctetur, donec tandem statuat determinatè, inimicum esse diligendum. Jam vero in hac intima decertatione cupiditatum advertit animus, se efficaciter neque vindictam, neque Charitatem voluisse, alias enim non pugnasset, sed utramque eodem tempore indeterminato quodam desiderio esse sectatum, immo & ipsum contra se gessisse bellum, & de se ipso victoriam reportasse. Sit inefficax illa, quæ perdurat in pugna, cha-

---

(a) *Vide Hobbesium Elem. Philos. c. 25. art. 2. §. 2.*

(b) *Helvetius ait discours 1. chap. 1. = Si là nature au lieu de mains, & de doigts flexibles, eut terminè nos poignets par un pied de cheval, qui doute, que les hommes sans arts, sans habitations, sans defense contre les animaux, tout occupès du soin de pourvoir a leur nourriture, & d' eviter les betes feroces, ne fussent encore errans dans les forets comme des troupeaux fugitifs? Videsis, quam modestè de sua natura tam celeber Philosophus loquebatur!* (c) *Ib. Ch. 4.* (d) *Prima Parte eplá 9.*

charitatis volitio, ſit, inquam, cum Hobeſio, motus aliquis purè mechanicus: non fiet equidem in eadem indiviſibili ſubſtantia cum motu cupiente vindictam: duo enim oppoſiti motus, & neceſſarii in re indiviſibili eodem tempore haberi non poſſunt. Scilicet aderunt duo iſti motus contrarii mechanice operantes in diverſis animæ partibus, quæ repræſenteat duo libræ brachia, & unum habeat pondus voluptatis, atque gloriæ, quam in ultione ſe conſequi fortaſſe putat, alterum vero timore quodam, ſpe, vel amore virtutis in cupienda charitate prematur. Non ergo eſt ipſa numero anima, quæ pugnat contra ſe, ut intime ſentimus, ſed ſubſtantiæ plures ad invicem, diverſæque decertant. At iſta relinquamus. Si mechanicè agitur, minor potentia majus pondus non elevabit. Jamvero vindictæ cupiditas hominem concutiens, ſanguinem, humoreſque, & facultatem illam omnimodè turbans, quæ *Ratio* dicitur, majorem quandam ex effectibus arguitur vim habere, cum interim pondus Charitatis nil horum producens timidé agat, & feré inſenſibiliter: ſi itaque ipſa tandem dilectio veniæ triumphet, non erit motus purè mechanicus. Sed fingamus, etiam in tali ſtatu pondus Charitatis majus eſſe, quam ultionis, uti auri granum mole exiguiſſimum a ſerico filo, volumine quidem ampliori, non elevatur. Repente igitur, quod rurſus eſt contra conſcientiam, victoria obtinebitur ſine pugna, cum in Phyſicis nulla poſſit eſſe majoris cum inferiori concertatio. Neque dicas, pondera illa, conflictu perdurante, fuiſſe æqualia, deinde vero unum alio evaſiſſe ſuperius. Species enim omnes timoris, gloriæ, vel ſpei, eaſdem vi, atque numero in utramque partem ab initio certaminis ad finem uſque ſentio animæ repræſentari, ita ut illis denique triumphem internis ideis, quibus anteà pugnaveram. Vel itaque victoria, vel certamen in Hobeſii ſententia foret impoſſibile. Sed adverſariis ero liberalis, & ad conflictum hujuſmodi, quem denegare interius non valeo, conficiendum, fingamus, tertium quoddam pondus excitari, quaſi materialem ſpeciem aliquam, quæ modo in unam, modo in aliam bilancis partem deferatur. At ipſum quoque, ſi mechanicè moveri debeat per Hobeſium, ex ſe quidem huc, & illuc ob vim inertiæ indifferenter non ſaltitabit. Sit itaque alia mechanica ſubſtantia, quæ ponduſculum modo exortum impellat: Si mechanica eſt, rurſus illud per unam directionem, non vero per plures ad utrumque brachium inconſtantiſſimè, injiciet. Quomodo igitur animus indiſcriminatim fluctuat, & modo vindictæ cedit, modo charitatem amplectitur, quaſi impulſus eodem tempore, atque reflexus? Admittamus ergo in homine ſecum ipſo confligente vim aliquam, quæ majus, minuſve momentum independenter a mechaniſmo elevat, atque deprimit: admittamus animæ actionem a phyſica ſenſibilitate diverſam. Ego quidem ago in volitione, non patior: pugnant amor vindictæ, & Charitatis: ſed ſentio poſſe me alterutram amplecti, ſi velim, & dum Charitas ipſa triumphat, minimus animi aſſenſus pro ultione ſatis eſſet, ut ejus momentum præponderaret, & ruinas induceret.

XVII. Atque hic ad majorem Hobesianorum refutationem illud addimus, quod acutè observavit Georgius Cheine (a), semper ex intimo sensu, & ideìs propriæ experientiæ singularibus argumentantes. Respiratio est actus involuntarius, mechanicus, & uniformis in homine: cum vero facultatem habeamus aliquantulum sæpe sæpius eam comprimendi, jam actio quædam in animo non mechanica observabitur. Etenim naturæ mechanismus determinare non potest, ut aliquid regulariter, atque constanter quibusdam eveniat Physicæ legibus, & eodem tempore præstare simul, ut actio ipsa irregulariter, & incertè suspendatur. Ne vero objiciat aliquis, reprimi hujusmodi respirationem etiam mechanismo quodam, qui tamen sit a primo diversus, animadvertat, mechanicam caussam irregulariter agere non posse, me autem incerto quodam modo, & absque lege respirationem sæpius retinere. Quid vero si adderem, mechanicis, atque passivis caussis non esse concessum, ut parte aliqua tantummodo receptarum virium utantur, sed ex cognitis Physicæ principiis projectos lapides totis omninò viribus currere, fluida, atque solida juxta potentiam subjecti ignis integrè dilatiari, cum interim anima possit parte virium uti, in impellendis, premedisque corporibus, deinde paulò majori, postremo denique, quantum valet (b)?

XVIII. Extra dubium est, ubi mechanismus inducitur, ibi plurimas hominum actiones explicari non posse: quod & ipse Joannes Jacobus Rousseau (est enim in impiorum etiam ore contra se ipsos aliquando veritas) candidè fassus est, dum animæ immaterialitatem ex unico mechanicorum actuum defectu conclusit. Sentit homo, ait ille (c) se liberum esse

(a) *Princ. Philos. Relig. Natur. c.* 3. §. 13.

(b) *Hoc argumento utebatur præ cæteris Genuensius suæ metph. par. alt. c.* 4. *in notis, quo totam hominis libertatem, binis ferè verbis, absolvi posse judicabat. Fatendum autem est ingenuè, veram animæ libertatem infirmiter tali pacto demonstrari, cum non advertisset vir Clarissimus, convenire quoque brutis, ut magis, & minus vires applicent, quamvis ex instinctu quodam, ut ajunt, operentur absque ulla indifferentia. Eodem vero argumento, uti etiam superiori a Georgio Cheine adducto, nos invictè utimur in hac prima dissertationis nostræ parte, in qua animam in volitionibus non esse merè passivam, tantummodo contendimus.*

(c) *Discours sur l'inegal. des homm.* 1. *p. pag.* 19. = *La nature commande a tout animal, & la bete obeit: L'homme eprouve la meme impression, mais il se reconnoit libre d'acquiescer, ou de resister, & c'est sur tout dans la conscience de cette Libertè, que se montre la Spiritualitè de son ame. Car la Physique explique en quelque maniere le mecanisme de sens, & la formation des idees: mais dans la puissance de vouloir, ou plutôt de Choisir, & dans le sentiment de cette puissance on ne trouve, que des actes purement spirituels, dont on n'explique rien par les loix de la mecanique* =

esse in assentiendo, aut resistendo impressionibus objectorum, & in hujus indifferentiæ intimo sensu ostenditur animæ Spiritualitas: in eligendi enim, & volendi potentia actus quidam inveniuntur, quibus explicandis mechanicæ leges non sufficiunt = Quid plura afferam? Ipse Epicurus actionum passivè in nobis non contingentium experimento inductus nonnullas effinxit athomos declinationis motum habentes, quo recederent a perpendiculari, animamque ab iis compositam fecit, ut libera diceretur. Audiamus Lucretium ex Epicuri mente disputantem (a).

... Libera per terras unde hæc animantibus extat
Unde est hæc, inquam, fatis avolsa voluntas,
Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas?
Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens.
Namque procul dubio his rebus sua cuique voluntas
Principium dat, & hinc motus per membra rigantur.
Nec simile est, ut cum impulsi procedimus ictu
Viribus alterius magnis, magnoque coactu ...
Id facit exiguum clinamen principiorum
Nec regione loci certa, nec tempore certo.

Scio Democriti correctores Casualistas facillime refelli posse in hoc declinationis motu, quem athomis tribuere. Ut enim opponebat Cicero (b) = Ipsa declinatio ad libidinem fingitur, (ait enim Epicurus declinare athomum sine caussa *efficiente* (c), quo nihil turpius Physico, quam fieri sine caussa quidquam dicere) & illum motum naturalem omnium ponderum,

ut

(a) *De Rer. nat. l. 2.* (b) *De fin. l. 1.*

(c) *Addidimus Tullii verbis sine caussa* EFFICIENTE, *ut contra Epicurum vis argumenti consisteret. Nam sicuti contendit vir insignis, auctor notarum ad Musschembroekii Physicæ elementa T. 1. c. 18. §. 521. immeritò Tullius eum reprehenderet, si de caussa Finali, quæ induxisset athomorum declinationem, loqueretur. Videbat enim ad complexiones rerum efficiendas illam fuisse positam. Sed reprehendendus est Epicurus, quod sine caussa efficiente motus declinationem admiserit. Hæc enim vis attractionis non a casu, & Fato Democritico, quod nihil est, sed ab aliqua Prima Caussa in Creatione erat tribuenda. Reverà clarius mentem suam explicat Tullius idem Libro de Fato inquiens = Epicurus Fatum extimescit, & ab athomis petit præsidium, easque de via deducit, & uno tempore suscipit res duas inenodabiles. UT SINE CAUSSA FIAT ALIQUID, EX QUO EXISTET, UT DE NIHILO QUIPPIAM FIAT, quod nec ipsi, nec cuiquam Physico placet, alteram, ut cum duo individua per inanitatem ferantur, alterum è regione moveatur, alterum declinet = & infrà = quam declinationem sine caussa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri: NON ENIM ATHOMUS AB ATHOMO PULSA DECLINAT =*

ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium sine caussa eripuit athomis = Præterea & ista declinatio in athomis corporeis non posset esse varia, & indifferens, sed mechanicis quoque subjecta legibus, uti & ipsa Neutoni attractio, ad quam fortasse, si conjecturis locus est dandus, juxta plures alludit. Sed illud saltem in rem nostram etiam ex adversariorum erroribus est deducendum, quod & ipsi Epicurei puram in anima passionem non posuerint, sed actionem, & quidem a cœteris corporum mechanicis actibus absolutè diversam.

XIX. Atque hic præterire non possum, minus accuratè a Philosophis animam nostram cum librâ conferri, ut sicuti necesse est lancem ponderibus impositis deprimi, ita illam amplecti nonnulla, vel adversari, quæ primo a Tullio (*a*) fuit de veritatibus intelligendis adducta, deinde cœteris, præsertim Bælio (*b*) & Leibnitzio (*c*) etiam de voluntate gratissima comparatio. Omittamus enim in ponderum æqualitate lancem necessariò quiescere, animam vero, deficiente majori ratione, posse quidem vi sua superstite in alterutram partem moveri, de quo contenderent acerrime VVolphiani: tamen illud certum est, libram passivè se gerere, vimque universam habere ex potentia momentorum, mentem vero agere in suis voluntatibus, & non pati, ut usque adhuc ostendimus. Sed in rebus apertissimis nimium longi fuimus, præsertim cum plurima etiam dicenda sint ad reliquam orationem.

§. III.

XX. DEcet equidem eos grati animi significatione prosequi, quos in uberrimo Sapientiæ studio auctores, ac veluti duces habuimus: *benignum enim est*, *& plenum ingenui pudoris*, ajebat Plinius, *fateri*, *per quos profeceris*. Indulgeat verumtamen mihi Clarkius, cujus potissimum ingenio atque operibus plurimum teneor, indulgeat, si ejus argumentandi methodo, quâ in præsenti quæstione usus est, omnimodè non satisfiam. Nam, si Clarkio fides habenda esset, absolutâ hac nostrâ priori parte, qua agentē humanam animam demonstravimus, illicò etiam de Libertate evanesceret universa contentio. Quæ enim patiuntur, subjecta necessitati esse putat, non quæ vero agunt (*d*), quasi & corpora, dum liberè demissa descendunt, & elateres compressi, dum objecta impedimenta repellunt aut non agerent, aut cum Libertate operarentur

(a) *Accad. q. l. 4. c. 13.*
(b) *Reponf. au Provinc. c. 139. p. 748.*
(c) *Theod. part. 3.*
(d) *De l'Exist. de Dieu T. 1. Reponf. ala primiere Lettre d'un Theologien de Cambridge.*

tur (a). Et meritò, fatendum eſt, ipſe Clarkius ideircò arguitur a Voltairio (b). Oſtendamus itaque ipſam animæ, quam vidimus, actionem nonneſſe in pluribus neceſſariam, neque uti, in corporibus, ad unum determinari; & altiùs ad rem noſtram ſingula repetamus. Quod ſi I. neque ipſa Creata objecta, quæ amplectimur, vel adverſamur, neque II. internam animæ naturam, atque conſtitutionem: neque III. vim tandem aliquam ab externo provenientem electionibus noſtris poſſe neceſſitatem imponere demonſtrabimus, erit omnis, ni fallor, abſoluta diſputatio.

XXI. Nemo eſt in Univerſo tam rudis, tam inſcius rerum omnium, atque ſtupidus, qui pluries in animo amaritudinem quamdam, & perturbationem non experiatur, ſive *diſplicentiam*, *atque dolorem*, pluries autem ſatisfactionem aliquam, gratumque ſenſum, quem vulgò *gaudium*, *voluptatemque* appellamus (c). Atque hìc quiſque videt me profectò non loqui de illa ſenſuum voluptate, quæ ab Epicureis tanto plauſu efferebatur, ut niſi ad organa Corporis cum ſuavitate affluerct, & illaberetur, Anima contenta eſſe non poſſet ullâ vacuitate doloris: ſed illam genericé nos intelligere, quæ in animi ſatisfactione conſiſtit, dum res ardentiſſimé concupitas obtinemus. Tales vero ſumus a natura comparati, ut & omnia gaudia poſſidere, & doloribus univerſis privari appetamus, in quo

 feli-

(a) *Lokius etiam de int. hum. L. 2. c. 21. §. 4., unde oriatur idea quam de activa potentia habemus, inveſtigans, ex ſola animorum actione, non vero ex motu corporum eam haberi poſſe contendit, eò quod in materia quæcumque motio ſit paſſio potius, quam actio. Et equidem exempla, quæ ibi adducit de globis luſoriis, & de impulſuũ communicatione per corpora, ejus opinioni non refragantur. Sed numquam agere omnino corpora, non inducor, ut credam. Attractio enim, & elaſticitas plura producunt in iis phenomena tum in coagulas, tum in effervels certiis, præcipitationibus Chemicis, Sublimatione Philoſophica, aliiſque hujus generis, quæ certè in vi corporum eorumdem inſitâ rationem habent ſufficientem; quamvis principium, & veluti occaſio vim eandem exercendi pendeat unice ab externo.*

(b) *Dans le Philoſophe Ignorant doute XIII.*

(c) *Audiamús Lokium de int. hum. l. 2. c. 20. §. 1. = Les penſèes de l'Eſpirt, inquit ille, ſont ſuivies de plaiſir, où de doleur, de ſatisfaction, au de trouble, ou comme il vous plaira de l'appeller. On ne peut decrire ces idèes non plus que toutes les autres idèes ſimples, ni donner aucune definition des mots, dont on ſe ſert pour les deſigner. La ſeule choſe, qui puiſſe nous le faire connoitre, auſſi bien que les idèes ſimples des ſens, c'eſt l'experience. Car de les definir par la preſence du bien, ou du mal, c'eſt ſeulement nous faire rèflechir ſur ce que nous ſentons en nous mèmes à l'occaſion de diverſes operations, que le Bien, ou le mal font ſur nos Ames, ſelon qu'elles agiſſent differentement ſur nous.*

felicitatem constituimus, neque unquam ista cupiditas expleatur, nisi omnes perpetuo complacentias, nihil unquam ingrati sentiamus. Hoc autem desiderium cohibere non valemus, neque potestatis esse nostræ cognoscimus, velle aut nolle felicitatem. *Beati omnes esse volumus, ajebat Augustinus* (a), *quod ipsi quoque Philosophi hujus seculi, & Accademici de rebus omnibus dubitantes, teste patrono suo Tullio, coacti sunt confiteri, idque unum esse dixerunt, quod disputatione non egeat, quod nemo est, qui non expetat.* Media potissimum, diversique calles, quos ineunt homines, ut alius bellum sequatur, alius pacis otia, hic imperium, ille rura, ab eodem felicitatis desiderio producuntur, quod finiui tam multiplices habet ideas, veluti comites, quot sunt hominum capita. Et quamvis principiò generi animantium omni sit à naturà tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, tamen eadem beatitudinis cupiditas illa est, quæ fortasse etiam homines ad membra corporis resecanda, & violentas quoque manus in se inferendas induceret. Ad felicitatem itaque nostram necessariò determinamur, cum equidem miseri non solum esse adversemur, sed nequaquam prorsus velle possimus. Domini enim nostrum actuum appellamur, eo quod possumus hoc vel illud eligere; cum autem electio non sit de fine, sed tantum de iis, quæ ducunt ad finem, quis non videt appetitum ultimi finis non esse ex eorum numero, quorum domini sumus? Et quisquam ne deliberavit unquam, ~~an vellet esse Beatus, non vero de mediis tantummodo, quibus~~ beatus esse vellet?

XXII. Creavit autem Universum Deus Summè Bonus, & similitudinem suam Entibus, quo fieri potuit modo, communicans perfectionem quandam tradidit, quâ ad finem aliquem ordinarentur, & omnia possiderent ad illum consequendum: unde hæc bona sunt bonitate, quam dicimus *Metaphysicam*; sed bona hæc finita, ille vero Bonum infinitum. Cum enim bonitas Universa rerum sit perfectio earumdem, Deus vero perfectione sua omnes rerum perfectiones existentium, & possibilium comprehendat, bonitate proprià quaslibet bonitates continebit, & erit omnis Boni Bonum, neque aliud eo nomine poterit appellari, nisi quantum de illius similitudine participet. Respicias in se quomodolibet Bonum hoc infinitum, semper idem est, & perpetuò bonum, ita ut si animæ clare se objiciat, non possit non excitare omnimodam satisfactionem, gratumque sensum, sive complacentiam illam undequaque perfectam, quam diximus felicitatem. Abestne omnis a Creatore malignitas? Incapax est ergo producendi dolorem, si in se ipso agnoscatur. Estne Bonum omni genere infinitum? gaudia itaque omnia generabit. Hinc ad Summum Universale Bonum clare, & in se unicè perspectum, in quo sistit Beatitudo Univer-

sa,

(a) *Oper. imperf. c. Julian. l. 6.*

-sa, ex natura propria tendimus omnes, ut illud non appetere nequeamus. Sunt, inquam, homines hac in re necessarii, neque ab aliis quibuscumque Creatis Entibus differunt, nisi circa rationem, atque modum, quo unice determinantur. Creator enim nostri nihil indigus, cum omnia propter semetipsum ut operatus, id effecit, ut ad se tenderent Universa: ipse est caussa rerum finalis & omnia Deum appetunt, quodcumque bonum appetendo, sive appetitus hic sit intelligibilis, sive unice sensitivus, sive etiam naturalis absque cognitione, quia nihil habet rationem boni, atque appetibilis, nisi in eo, in quo particeps fiat de similitudine Creatoris. Cum vero homines necessariò ad Deum tendere jactitamus, id intelligendum est de Creatore in se claré perspecto, ut consideretur, & appareat nobis Bonum quocumque genere infinitum, in quo gaudia omnia, dum possideantur, suâ fruitione dolores quoscumque removeant. Patebit enim inferius, unicam hominum caussam, quâ in hac mortali vita sæpius a Creatore removentur, eam esse, quòd a nobis ille in cupiditatibus, atque tenebris, quibus miserrime involvimur, non adhuc perspicue conspiciatur.

XXIII. Quoniam vero ubi Bonum non invenitur, ibi *Malum esse* dicimus, (nam in sequentibus contra Manichæos malum non esse aliquid, sed mera in Boni privatione sumus ostensuri), erit idcirco in misero mali statu gaudiorum omnium absentia, aderit dolorum plena possessio, sive *Infelicitas*. Ex contrariis itaque arguendum est, Malum, ipsamque infelicitatem necessariò nos adversari, ita ut nemo ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernetur, aut oderit, aut fugiat, sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt. Neque porrò quisquam est, qui dolorem ipsum (a), quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit, sed quia nonnumquam ejusmodi incidunt tempora, ut labore, & dolore magnam aliquam quærat voluptatem: & hic tenetur, præsertim a Sapiente, delectus, ut aut rejiciendis voluptatibus majores alias consequatur, aut perferendis doloribus asperiores repellat. Atque ut omnis auferatur dubitatio, ultimo advertendum est, nil officere, quod aliquoties malum velimus, cognitum revera uti malum, cum certum quoque sit, illud sub mali ratione non appeti. Quamvis enim in eo, quod sibi appetimus, præter bonum, a quo allicimur, malum quoque deprehendamus; non est tamen ipsa mali ratio, sed boni, quâ profecto trahimur ad amorem. Qui peccat ex malitia, cum advertat se Leges offendere, eorumque Latorem, malum quoddam amplectitur, quod uti malum agnoscit: actionem vero non sequitur, quatenus improba est, sed quatenus sibi bona, suoque appetitui deordinato consentanea.

XXIV.

(a) *Utitur hisce verbis Tullius de Fin. bon. & mal. L. 1. ex Epicuri persona loquens. Eadem vero prosequi nobis liceat absque Fidei, rectæque rationis discrimine, cum explicatum sit numero 21., quid unquam hic voluptatis, & doloris nomine intelligamus.*

XXIV. Hæc vero de Bono, & Malo genericé sumptis, sive animæ in ideâ ex omni parte perfectâ repræsentatis dicta sufficiant. At cœtera Universi Entia creata sunt omnia nec Summè, nec æqualiter, nec immutabiliter bona, sed bona etiam singula, cum ex omnibus iis consistat Universitatis admirabilis pulchritudo, & omnia possideant correspondentia fini, ad quem a Summo Provisore ordinantur. At vero non constituunt ipsa felicitatem, neque ad ea possidenda creatæ sunt animæ, quia infinite bona non sunt, quod equidē non longum esset ostendere, nisi & ab Ethnicis, & ab Oratoribus, & a Poëtis quoque ipsis foret quotidiano experimento, & ratione hominibus demonstratum. Nam si amitti vita Beata potest, inquiebat Cicero (a), Beata esse non potest: & quis confidit semper sibi illud stabile, & firmum permansurum, quod fragile, & caducum sit? qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat, necesse est ne aliquando, amissis illis, sit miser; Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest. Sunt tamen hæc finita Bona quædam veluti media ad ipsam felicitatem (aliàs vel noxia, vel saltem inutilia dedisset hominibus Creator possidenda): & iis reverà Sapientes utuntur eâ tantum ratione, ut Beatitudinem, quæ alibi potissimum est, acquiramus. *Ut enim si cui sit propositum collimare hastam (b) aliquò, aut sagittam, sicut nos ultimum in bonis diximus: sic illi facere omnia, quæ possit, ut collimet: huic in ejus similitudine omnia sint facienda, ut collimet, & tamen ut omnia faciat, quò propositum assequatur: sed hoc quasi ultimum, quale nos Summum in Vita Bonum dicimus: illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum* = Quare cum omnia, & singula sint media felicitatis inveniendæ, nullum eorum erit medium unicum, atque solum; & quamvis omnia sint cum Beatitudine nostra connexa, nullum tamen est ita necessariò conjunctum, ut non possit sine illo haberi felicitas. Quid hic rationibus indigemus? Cognoscit quisque Sapiens se omnibus simul Universi objectis carere non posse, uno vero, vel altero singillatim sumpto posse quidem.

XXV. Nullum præterea invenimus Creatum Ens, quod nobis ex omni ratione illud inspicientibus quadantenus bonū & quadantenus malum non appareat. Ex cupiditate enim in judicando rapimur, item ex ignorantia, & inadvertentia, & quod præcipuum est, si in eâ fortasse rerum constitutione versemur, in quâ omnia nobis æqualiter non expediant. Duo itaque in præsenti vitæ statu consideremus in bonis hisce Creatis: Primum est eorum defectibilitas, quâ nullum necessariò nos ad Beatitudinem ducat,

(a) *De Fin. l. 2.*

(b) *Locus Tullii in 3. de fin. propter perturbatum verborum ordinem subobscurus, sententiam tamen habet apertam. Manutius quidem hoc vidit, & ne arrogantiæ notam subiret, ab emendando loco abstinuit. Vide animadversiones Jo: Michaëlis Bruti in l. 3. de fin.*

ducat, alterum vero est repræsentatio mentis, quâ neque ex omni parte mala, neque ex omni parte bona videantur.

XXVI. Ex hisce duobus veluti fundamentis, quæ in variis rerum Conditionibus diversimode se habent ad homines, procedit bonorum, malorumque Universa distinctio. Quod enim humanæ naturæ est contentaneum, ipsamque perficit, *honestum Bonum* appellatur, de quo inquiebat Tullius (*a*) = *Quidquamne Bonum est, quod non eum, qui possidet, meliorem faciat?* = & hujusmodi erat in Cœsare animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, nisi potius ad imperium pacatiùs retinendum id effecerit. Aliud vero Bonum delectationem quamlibet parit, sive honestum sit, sive non, quod hominibus *jucundum* dicitur, ut filiorum procreatio: aliud tandem *utile*, quod acquirendo bono vel honesto inservit, vel jucundo, qualis affinitas Pompeji in animo Cæsaris, quæ vel ad pacem Reipublicæ conservandam, vel ad faciliorem dominationem pertinebat. Idem quoque de Malis ex contrario intelligendum est. Malum nempe naturæ nocet, atque *est inhonestum & turpe*, si rectæ rationi adversetur, ut liber concubitus, & communis mulierum usus in Platonis (*b*). Republica; *molestum* vero si dolorem afferat, uti febris; *incommodum* denique, si impediat, ne, quod appetimus, assequamur. Nonne autem videmus, quanta perturbatio idearum, & rerum omnium consequatur, hisce bonorum, malorumque distinctionibus non intellectis? Plato, ut exemplis virorum illlustrium utamur, postquam dixisset (*c*) nudandum Corpus esse mulieribus custodum, quandoquidem pro vestibus virtutem induent, adjunxit = *Qui vero nudas riserit mulieres optimi cujusdam gratiâ ita nudatas* (eas enim gymnicis certaminibus exerceri jubebat) *inanē circa ridiculas nugas carpens Sapientiæ fructũ, neq; qui d rideat, neq; quid agat, intelligit scite nam istud & dicitur, & asseritur* = *Quod utile quidem, honestum, noxium autem, turpe* = Sed falsò: est enim in hominum mentibus non stylo aliquo, vel atramento, sed genuinæ rationis dictamine lex inscripta, quæ imperat, honestum utili praferèndum (*d*): unde jure Plato redarguitur ab Eusebio Pamphilo (*e*), quamvis hic illum in toto opere supra modum fortasse celebrasset. Hinc Bonum solummodo honestum realiter Bonum est, verumque Malum dici nequit, nisi inhonestum. Quod enim bonum est, omne laudabile est (ex consectariis Stoicorum

---

(a) *Paradox.* 1. (b) *Dial.* 5. *de Rep. l.* 31. (c) *Ib.*

(d) *Institutæ digressionis ratio non patitur, ut hic de secernendo utili, atque honesto plura dicamus, quibus integrum secundæ Partis Helvetii de Spiritu Systema corrueret. Utile enim non ad honestum tantummodo ducit, sed etiam ad jucundum; jucunditas vero non semper cum honestate conjungitur. Sed hisce supersedemus.*

(e) *In Præpar. Evang. L.* 13. *c.* 12.

corum brevibus, & acutis arguebat Tullius (*a*)) : quod autem laudabile est, omne honestum est : bonum igitur quod est, honestum est. Et nonnisi cum summâ Posidonii laude narrabat Pompejus, eum graviter, & copiosé de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, infirmitate cubantem disputavisse, cumque quasi faces ei doloris admoverentur, sæpe dixisse = Nihil agis dolor, quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum = Cœtera vero sive bona, sive mala, quæ ad jucunditatem, & ad utile pertinent, purè objectiva sunt, & ad ideas tantummodo nostras referuntur. Est enim in actibus hominum quantitas quædã boni, & mali, quæ *realis* dicitur, juxta æternas Dei Leges, atque sanæ rationis, quibus convenit, vel dissentit : & est alia quantitas boni, & mali, quæ apparet nobis solummodo in ideis nostris, unde *objectiva* appellatur: cumque bonum genericè dicamus id,quod aptum est producendæ in nobis voluptati, & minuendo dolori (*b*), hinc quidquid bonum, vel malum dicitur, pluries nonnisi in relativis perceptionibus consistit, ita ut majus, vel minus possit nobis apparere, quam adsit, immò malum sæpius veluti Bonum, & ex adverso videatur.

XXVII. Sed ut eò revertamur, unde digressa est Oratio, duo illa, quæ veluti fundamenta (*c*) in objectis Universi observantur, id efficiunt, ut anima in agendo ab ipsis non determinetur ad unum. Nam amans Ego ex necessitate Bònum genericè sumptum (*d*),ad illud comparandum,meãque felicitatem habendam,omnem lapidem moveo, Creaturas, & actiones omnes investigo : cumque in Entibus Creatis neq;summum,neq;Unicum Bonum inveniatur (*e*),quid in illis honestum, quid jucundum, quid utile, item quid malum insit, quid molestum, quid incommodum mea propria ratione,non alienâ dijudico: quod anteà bonum videbatur, maturiori reflexione, uti malum rejicio: quod prius rejeceram, saniori consilio amplector, in unum eligo inter plura, quod relativum mihi bonum apparet. Quomodo itaque ad objectum unum determinamur, & non sumus indifferentes ad plura, si excipiamus unicum felicitatis amorem, & Boni genericè sumpti desiderium? Fundamentum equidem, basis, atque principium, quo moveor ad agendum, est amor propriæ Beatitudinis, qui ostensus est necessarius : dum vero hoc, vel aliud appeto, dum ita, & non aliter ago, ad illud unum tantummodo non determinor, sed sentio in me esse facultatem singulare hujusmodi objectum non eligendi, si aliter illud ipsum considerem, vel diversa alia quomodolibet aptiora mihi esse

(a) *De Fin. l. 3.*

(b) *Vocabula voluptatis, atque doloris sumimus cum Lokio de intell. hum. L. 2. c. 20. §. 2. in sensu, quem exposuimus num. 21.*

(c) *Num. 25.* (d) *Num. 22.*

(e) *Num. 24.*

esse concipiam (*a*). Sicuti potissima perfectio substantiæ intelligentis (sunt hæ satis appositæ (*b*) Lokii sententiæ) in eo constituitur, ut totis industriæ nervis, & constanter intendat ad veram, solidamque felicitatem inveniendam, ita cura omnis, quæ nobis competit, ne imaginariam Beatitudinem verâ, & reali posthabitâ sumamus, est necessarium nostræ indifferentiæ fundamentum. Quo magis huic genericæ felicitati, quæ nobis est Summum Bonum, quæve perpetuum est cujuscumque cupiditatis objectum, addicti sumus, eò liberiùs voluntas immunis est a necessitate, ne ad peculiare bonum determinetur, quod eo tempore aptius apparet, donec maturè examinemus, utrum realiter illud ad Beatitudinem nostram referatur. Hoc est veluti fulcrum Libertatis: ipsa necessitas, quæ ad inquisitionem veræ felicitatis determinat, secum involvit strictum veluti jus impediendi, examinandi, & considerandi quodcumque desiderium, quod successivè in nobis excitur, an realiter ducat ad illam. Cognitio regit voluntatis electionem, & erit idcircò in nostrâ potestate, ut voluntates indeterminatas retineamus, donec bonum, & malum, quod cupimus, examinemus.

XXVIII. In quâvis ergo electione hominũ aliquid necessarii inest, aliquid vero non necessarii: Nostrarum enim inclinationum, & declinationum caussas, bonorum scilicet, malorumque peculiarium ideas perpendimus, quandoque nobis alias exhibemus, a prioribus animum abducentes: sed fixis denique hisce boni, & mali notionibus, necessariò mens appetit, vel adversatur objecta. Hinc vetus opinio est, eaque & Doctorum, & omnium gentium firmata consensu, non posse animam adversari bonum, quâ bonum, non posse malum, quâ malum, appetere. Per accidens enim malum amplectimur, animo scilicet bonum aliquod consequendi: & fornicator delectationem intendit, cui tamen deformitas culpæ conjungitur: malum autem, quod adnectitur alicui bono, est privatio alterius boni, & nunquam amplecteremur malum, neque per accidens (*c*), nisi bonum, cui malum conjungitur, magis, quam bonum, quod privatur per malum, appeteretur. Immobile fulcrum, sæpius dixerim, nostræ indifferentiæ est ipsa necessitas inquirendi boni, quod sicuti in Entibus Universi perfectè non invenitur, id efficit, ut ab iis necessariò anima non trahatur. Explanaverat id accuratissimè D. Thomas Scholasticis quidem, sed perspicuis, brevibusque sententiis (*d*).

XXIX. Detorquet Voltairius adductum suprà principium, ut huma-

 nam

(a) *Ostendimus hic tantummodo objecta in se ipsis, uti sunt, vim animæ necessariam non inferre, dum eligit: unde nemo exposito argumento objiciat, repræsentationem boni, vel mali, prout in nobis efficitur, animam determinare ad unum, si illam necessariò non determinet objectum. De hisce enim inferius erit sermo.* (b) *De int. hum. L.2.c. 21. §. 51.*
(c) *Num. 23.* (d) *1. P. q. 82. a. 1.*

nam in agendo indifferentiam evellat, & Libertatis nomen esse aliquem hunc mente sonum ostendat = Mea libertas in eo sita est, inquit ipse (a), quòd malum amplecti non possim, cum animus illud *Necessariò* malum sibi repræsentat = Sed hisce verborum involucris veritas non infirmatur. Indifferentiã in eo collocavimus, quod objecta amplecti possimus, vel adversari, non cum animus ea *Necessariò* bona, vel mala considerat, sed potius contra quando bona, & mala sibi repræsentat absque ullâ necessitate. Summum namque Bonum, itemque dicas de Malo, unicum esse probavimus (b) quod *Necessariò* tale nobis apparet, & ibi animam nullâ indifferentiâ præditam in agendo concessimus. Sententiæ autem nostræ, de quâ modo agimus, punctum a Voltairio dissolvendum in eo est, quod de finitis Entibus numquam habere possim *necessariam* ideam boni vel mali. Quoniam enim in Universo nihil necessariò cum mea felicitate conjungitur, neque bonum in rebus adest infinitum, ideò determinatio, quam efficit anima, est ad illud peculiare bonum, sed non ad illud veluti Summum Bonum, est ad illud, uti medium, sed non uti medium unicum felicitatis habendæ. Et apposité declaramus idem cum D. Thomâ (c) ex modo, quem ipsa mens habet in intelligendo. Sunt enim quædam intelligibilia, quæ necessariò primis principiis non connectuntur, uti propositiones contingentes, quibus remotis principia ipsa non removentur; iisque ideò ex necessitate non assentitur intellectus. Plurima interim enunciata necessariò conceduntur, quæ nempe hujusmodi vinculum habent cum principiis, ut iis ablatis stare ista non possint. Sed neque illis ex necessitate assẽtimur, antequam connexionis ejusdem vim integram, demonstrationis ope, cognoscamus. Neque absimili potissimum ratione sunt quædã in Universo peculiaria Bona, quæ necessariò ad Beatitudinem non referuntur, quia sine his potest aliquis esse felix, & ab iisdem animus ex necessitate non rapitur: cœtera vero cum felicitate connectuntur necessariò, quibus scilicet homo Deo inhæreret; sed antequam, certitudine Divinæ Visionis, necessaria ipsa connexio demonstretur, non nisi cum indifferentiâ ad Deum, & ad illa, quæ Dei sunt, anima determinatur.

XXX. Prætereà cum ad Beatitudinem creatæ sint animæ (malignus enim fuisset Deus, qui ad infelicitatem eas effecisset), Beatitudo autem nonnisi a Bono infinito, quod omnia plenè gaudia contineat, & quemcumque dolorem arceat, haberi possit, quis inficiabitur unquam, ipsas ad Bonum infinitum esse productas? Bona itaque Universitatis hujus poterunt illarum replere desiderium, si vis finita incapax est effectus infiniti, qualis

(a) *Le Philos. Ignor. doute 13. = Ma Libertè consiste a ne point faire une mauvaise action, quand mon espirt se la represente NECESSAIREMENT mauvaise : a subjuguer une passion, quand mon espirt m' en fait sentir le danger, & que l' horreur de cette action combat PUISSAMENT mon desir =* (b) *Num. 22.* (c) *1. P. q. 82. a. 2.*

qualis nempe a Summo Bono produceretur? Quamobrem concludamus hisce positis: I. cum objecta Universi in se ipsis neq; sint infinitè bona neq; infinitè mala, animam non rapiunt necessario ad appetendum, vel adversandum. II. cum illa, quæ bona sunt, possint nobis repræsentari tanquam mala, ut in hominibus sæpe sæpius debilitate ingenii, vel pravâ cupiditate contingit, ideò animus, qui ad bonum genericè sumptum tendit necessariò, ad hoc, vel illud unicè non determinatur, sed potest, quod uti Bonum elegerat, veluti malum adversari. Paucis universam disquisitionem complectar. Objecta externa vim nobis non inferunt, uti caussæ agentes, cum anima iis utatur, & pleno jure dominetur; non uti caussæ finales, quia non sunt infinitè bona: unde *Universi Entia nullatenus nos ad unum determinabunt*.

XXXI. Atque hic nonnulla sunt adnectenda, quæ veluti consectaria a superioribus colliguntur, quæque simul inf à dicendis majorem lucem afferre possunt, antequam ad aliud disquisitionis nostræ caput de vi, quam ab interno habet anima eligens, accedamus. Ex duplici indifferentiæ nostræ caussâ, quam exposuimus, prima, scilicet Summæ Bonitatis defectus in Entibus Universi, constituit in animâ facultatem, ne ad unũ determinetur, quæ a Philosophis dicitur *immunitas exercitii*, & *contradictionis*, sive indifferentia agendi, vel non agendi, & hoc, vel aliud disparatum medium eligendi, in quo consistit vera hominis perfectio. Ex altero autem capite, repræsentatione scilicet objectorum in ideis boni, & mali relativis oritur immunitas, quam dicunt *contrarietatis*, sive *specificationis*, nempe indifferentia ad opposita, & bonum, vel malum eligendi, ita ut ipsa consideratio objecti quadantenus boni, & quadantenus mali nos eximat a determinatione ad unum, sed non sine adnexo defectu, cum scilicet possimus eligere malum sub specie boni, & contrà sub mali specie bonum ipsum adversari. Quod ut clariùs explanetur, nonnulla ex Lokio (a) sunt desumenda. Cum appetamus gaudiorum omnium possessionem, & privationem omnium noxiorum, sive felicitatem, si ex hisce statibus alterutrum anima non habeat, experitur quamdam molestam *inquietitudinem*, in quâ nihil, quamvis suave, videatur nobis esse gratum: & hæc ipsa inquietitudo, quam sentit homo ex absentiâ rei, quæ præsens excitaret in illo voluptatem, *desiderium* est, vehementius, vel debilius, prout illa est ardentior. In hoc animi statu primum, quo tendimus, est gratum absens obtinere, vel removere, quod adest, ingratum, sive de realibus bonis, atque malis, sive de purè objectivis agatur, ut quæcumque avolet inquietitudo. Motivum equidem, quo anima ducitur ad perseverandum in eodem statu actionum, est unicè præsens, quæ ibi invenitur satisfactio: motivum vero, quo ideam, præsentemque statum in alium prævisum commutare nitimur, est ipsa inquietitudo. Cum autem hæc a bo-

(a) *De int. hum. L. 2. c. 21. §. 6. & pluribus sequentibus*

nis honestis, jucundis, & utilibus, si absint, vel a malis turpibus, molestis, & incommodis possit in nobis excitari, præsertim pro actuali corruptæ naturæ ratione, hinc sæpe sæpius honesto jucundum, & utile præponimus. Scio plerosque Scholasticos in hoc Lokio contradicere, eo quòd a Bono, vel Malo absolute considerato, non vero ab inquietitudine animam ad agendum determinari contendunt: Sed accuratè sententiãutramque examinantibus apparebit, eos invicem nonnisi verbis dissentire. Neque enim ipsi Scholastici defendent unquam, Bona unice honesta, & Mala unicè turpia, quæ vera, & realia sunt, posse animam exagitare, & multò minus humanam naturam ad illa tantummodo dirigi; unde animos non quidem ad absolutum, sed ad profiguum bonum, sive illud verum sit, sive apparens, proclives esse dicent cum Lokio: & idem certè est, Malum non posse appeti, nisi sub aliquâ ideâ boni, quod asserunt Scholastici, ac Malum ipsum tunc posse voluntatem movere, quoties tantam contineat speciem utilitatis, respectu præsentis inquietitudinis, ut damno cuilibet sequuturo anteferatur. Non enim omne bonum absens dolorem producit in ratione præstantiæ, quam habet, vel quam nos ibi recognoscimus: at dolor omnis, dum patimur, desiderium gignit sibi æquale, ita ut absentia boni semper malum non sit, bene vero semper malum sit cujuscumque doloris præsentia. Omne autem molestum depravatæ animæ, uti malum, omne profiguum, quasi bonum, apparet; quod innuerat etiam D. Thomas (a) inquiens = *Proprium objectum electionis est illud, quod est ad finem: hoc autem, inquantum homini, habet rationem boni, quod dicitur utile* = non quod bonum omne in utilitate statuendum sit cum Carneade, Hobesio, Helvetio, sed quod virtus ipsa, sive verum bonum perpetuò animam non moveat, licet optandum foret, ut illud unicè esset motivum voluntatis. Hinc male scribebat Cartesius ad Elisabetham Palatinam (*b*), inclinationes, & declinationes animi peculiares a bonis, & malis realibus esse dimetiendas, cum illas potius, non sine detrimento, ac sequuturo moerore, experiamur, pendere ab ideis nostris, quibus res easdem, sive bonæ sint, sive malæ, repræsentamus.

XXXII. Hæc vero contrarietatis indifferentia, uti inquiebã, est animæ humanæ defectus. Cum enim operandi finis, quem unicè intendunt Creaturæ, sit bonum aliquod, nempe felicitatis acquisitio, omnis earum perfectio, dum agunt, erit potentia eligendi media juxta ordinem finis, ad quem ex naturâ determinantur. Jamvero vitia, atque mala, quæ moralia dicuntur, cum Beatitudinẽ ullam in nobis caussare non valeant, sunt potius contra ordinem felicitatis: atque hinc non erit animæ perfectio indifferentia ad bonum, & malum, sive *Contrarietatis*, bene vero indifferentia *contradictionis*, sive facultas illa eligendi media, quæ, cùm in se ipsis bona sint, ad rectum ultimum finem referantur. Sicuti nempe ad vir-

(a) 1. P. q. 83. a. 3. (b) *Primâ Part. eplâ 6.*

virtutem intelligendi pertinet, quod ipsæ in diversas conclusiones procedere possit, secundum data principia: quod vero arguat, atque concludat prætermittens ordinem principiorum, hoc est ex ipsius defectu: non absimili quidem ratione, quod animus diversa eligere possit, quorum singula ducant ad finem, hoc attinet ad ejus indifferentiæ perfectionem: sed quod eligat aliquid, divertendo ab ordine finis, uti est in appetitu malorum, hoc potissimum ostendit in ejus indifferentiâ defectum (*a*).

XXXIII. Illud verò quæri fortasse potest, quod equidem in ipsâ, de quâ agimus, humanæ Libertatis tractatione continetur, cur nempe, si perfectionem quamdam voluerit nobis tribuere Deus, homines eximens à necessitate, cur, inquam, contradictionis tantummodo indifferentiam non dederit, sed illam quoque contrarietatis? At est animadvertendum, ex naturali felicitatis desiderio, quod omnes Universim experimur, ne frustrà datum fuisse dicamus, illud consequi, nos esse Creatos, ut Beatitudinem,

---

(a) *Agentibus de perfectione, & defectu indifferentiæ nostræ in eligendo liceat hic breviter percensere, eruditionis gratiâ, qualis sit in Beatis, & Creatore Libertas. Inferius Fatum Spinozisticum, atque Stoicum evertentes, Deum ostendemus circa ea, quæ ad propriam naturam non pertinent, ab omni necessitate penitus immunem: sed cum hæc immunitas absque ullo defectu debeat esse in Ente Perfectissimo, erit pura indifferentia CONTRADICTIONIS, quæ proposito sibi optimo fine, nonnisi media eligit ad illum conducentia. Ipsa enim CONTRARIETATIS facultas ad mala, sive, quod idem est, ad Boni privationes, Bonum ipsum destrueret, scilicet Creatoris essentiam, quæ suâ naturâ absolutè, necessarium est, ut existat. Præterea Deus, uti Sapientissimus, cum objecta, qualia effecit, agnoscat, non objiciet sibi malum sub specie boni, & bonum sub specie mali, quod est unicum indifferentiæ contrarietatis fundamentum. Beati vero determinantur necessariò non ad propriam modo felicitatem, & Bonum genericè sumptum, uti cæteri in hâc vitâ degentes homines, sed etiam ad Numinis dilectionem, cum, ex hypothesi Beatitudinis, hoc Summum Bonum clarè iis appareat (Vide num. 22.) Sed circa cætera objecta indifferentes erunt, cum ipsa Beatitudo perficiat Creaturas, non vero dotibus orbet, & summa quidem perfectio sit animi indifferentia, ne trahatur à finitis objectis necessariò, iisque in agendo famuletur. At est sola contradictionis similiter, non contrarietatis ista facultas. Namque anima (paucis id ostenderat D.Th.c.Gent.l.4.c.92.) Beata esse non potest, si voluntas ejus recta non fuerit: definit enim esse recta propter hoc, quod a fine avertitur, & Beata est per hoc, quod fine fruitur; non potest autem simul esse, quod à fine avertatur, & fine fruatur. Hinc pollent illi dictamine, uti inquiunt, indefectibili, res nempe vident, uti reverà sunt, non malum sub specie boni, & ex adverso, quod est MOTIVUM INTRINSECUM, ne contrarietatis indifferentiam habeant; & gaudent auxilio Dei gratificantis perpetuo, efficaci, quod est MOTIVUM EXTRINSECUM.*

dinem, atque gloriam in posterum haberemus. Noluit vero Creator hæc nobis tribuere simpliciter, uti munus, sed uti coronam quoque, præmiumque meritorum. Cum vero mereri non possit, ut infrà dicendum est, qui ad bonum similiter, atque malum non est indifferens, non abstulit idcircò ab hominibus deficiendi potentiam (a). Præterea Divinæ Providentiæ non est naturam destruere, sed salvare: ipsa autem natura rerum hoc habet, ut quæ deficere possunt, quandoque deficiant. Scilicet ingenita Creaturæ defectibilitas (solus enim Deus est indefectibilis) postulat, ut eam Deus, qui juxtá peculiarium rerum conditionem Entia regit, in aliquibus deficere sinat: non equidem, quod ista defectibilitas hominum dicatur esse motivum, cur Deus moralia mala permittat, (defectus enim non accidit ob naturæ defectibilitatem, sed ob bonum inde procurandum): sed se habet illa defectibilitas, tanquam conditio, *sine quá non*, sive tanquam aptitudo quædam ex parte peccantium, uti cretæ vilitas est aptitudo ad vilia vasa efformanda. Sed hæc longius ab instituto me removent, nec sunt huius

---

(a) *Validior hæc primæ quæstioni proposita responsio non est fortasse absimilis ei, quam tradidit D. Basilius, Deum scilicet violentum servitium nolle, & ipsam Virtutem, quæ unice a Deo quæritur, effectum esse Voluntatis ad culpam quoque indifferentis, sicut de voluntario tantum gaudent homines, non vero de mancipiorum servitio. Hanc Basilii responsionem referens Bælius artic. Marcionitarum litterá F. temerè inquit = Cur unquam rei ista proferens attendebat Basilius? Necessariò Deus diligitur a Beatis, & interim de hoc sibi complacet, eorumque virtus est undequaque perfectior. = Sed non advertit acutus iste censor, Creatorem humanarum rerum non indigentem de eo tantum sibi complacere, quod suis finibus apprimè respondet, ita ut diversos Creaturæ status respiciens, diversa quoque requirat pro variis finibus, quos intendit. Dum in hac vitá sunt homines, vult Deus, ut futuram felicitatem mereantur, sibique complacet de virtute voluntatis ad malum quoque indifferentis, sine quo meritū non datur juxtá illud = Potuit facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino = Dum vero homines amplius mereri non debent, sed laborum, durique conflictus præmia recipere, vult ipse Deus, ut animi fruantur Beatitudine, quæ ex offensis cum deficiendi potentia conjungi nequit. Quamvis itaque gaudeat de Beatorum servitio ad malum non indifferenti, tamen id non impedit, quominus eam in mortalibus virtutem requirat, quæ a voluntate ad bonum, malumque proclivi dependeat. Et ipsa in Beatis deficiendi impotentia est præmium victoriæ ab iis obtentæ, dum in terris deficere poterant: quoniam vero præmium sine merito non consequimur, Beati, quam habet, indefectibilitatem mereri debuerant: unde impeccabilitas eorum non destruit, sed potius confirmat adductam Basilii rationem, cur Deus ad bonum, & malum homines voluerit indifferentes. Nam peccare modo possumus, ut mereamur; erimus in Cælis indefectibiles, cum id jam meriti fuimus.*

hujus loci, præsertim vero, cum satius esset, Creatoris fines abscon-ditos venerari, & caussas tantummodo investigare cum Lokio (a) ex quibus, veluti a motivis quibusdam, pravæ mediorum electiones in animâ dependeant.

XXXIV. Prosequamur itaque orationem nostram, in quâ illud modo est inquirendum, utrum in animæ internâ constitutione, atque natura vis aliqua sit, quæ ipsam necessariò ad unum in eligendo determinet. Pugnādum præcipué nobis est hic cum viris a seculo famosis, Collinio scilicet, Hobesio, Helvetio, Voltairio; at si unum, vel alterum confutemus, omnes in certamine cadent, cum eadem argumenta hic ab illo mutuetur, immo & novum tantummodo afferant verborum apparatum, sententias vero easdem habeant, quas Doctores Scholastici, & præ cæteris D. Thomas, uti inquiebam in superioribus, tot abhinc annis & objecerunt sibi, & radicitùs diluerunt. Rerum progressus, quæ a nobis enunciata sunt, patefaciet. Antonius itaque Collinius in libello = *Disquisitiones Philosophicæ de hominis libertate* = quem posteà secutus est Voltairius *in dictionario Philosophico articulo Libertatis*, & alibi *in quæstionibus Philosophi Ignari*, animam determinari ad unum in agendo, tali pacto conatur ostendere. Cum homines, inquit, ita sint constituti, ut necessariò ex propriâ naturâ semper appetant felicitatem, ubinàm eam habent, de quâ tantopere gloriantur, eligendi indifferentiam? Si eis noxia quædam vel bona objiciantur, exurgit illicò animi *inquietitudo*, ad quam removendam tendunt omni conatu, neque aliis unquam reguntur motivis, nisi bonorum, malorumque ideis, atque judiciis, quæ unicè animam determinant, ut aliter illa non possit agere. Quis enim id amplectitur, quod malū agnoscit, quis eligit inter plura, nisi quod ei ex parte intellectus videtur esse bonum? Quomodolibet itaque inquietitudo ista respiciatur, destruit arbitrii indifferentiam. Si enim est in interno animæ, veluti necessaria ipsius propensio; qui ab illâ ducitur, agit necessitate naturæ: Si vero in externis consideretur objectis, a quibus imprimitur caussando dolorem, atque voluptatem, patiemur alienum impulsum, neque immunes erimus a coactione. Hæc generatim sunt ea, quæ nobis objiciuntur, sed quodam peculiari modo diluenda (b). Ad tria itaque capita adversariorum orationem redu-

---

(a) *De int. hum. L. 2. c. 21. §. 54. & seq.*

(b) *Ne superbiant harum difficultatū inventione adversarii, audiant D. Thomam eadem prorsus sibi objicientem 1. P. q. 82. a. 2. ubi ait = Videtur, quod voluntas ex necessitate omnia velit: Dicit enim Dionysius de Div. Nom. p. 4. c. 4., quod malum est præter voluntatem. Ex necessitate ergò voluntas tendit in bonum sibi propositum, II. Objectum voluntatis comparatur ad illam, sicuti movens ad mobile: sed motus mobili necessariò consequitur ex movente, ergo videtur, quod objectum voluntatis ex necessitate moveat ipsam*

reducimus: Scilicet necessariò agimus, eo quod I. unusquisque tendat ad bonum: II. quòd ipsi determinemur ad hoc, vel illud à propriâ mentis inquietitudine: III. quòd a motivis, & ratione intellectus agamur.

XXXV. Jamvero, quod attinet ad primum, si loquatur adversarius de nostrâ felicitate, & bono genericè sumpto, concedimus libentissimè Collinio, ibi animam esse necessariam, ut pluribus á nobis ostensum est, neque de hoc unquã ulla fieri poterit nos inter disputatio. At vero si agat ille de cœteris Universi bonis peculiariter sumptis, & de mediis nostræ felicitatis acquirendæ, scio plurimum, bonorũ dilectionem, malorumque fugam esse fontem actionum, cupiditatum, passionumque nostrarum (a) sed ex eo quod bonum sit unicum, & unum objectum, haberi tantummodo potest, ut anima nihil velit, nisi sub boni ratione: at quoniam sub ideâ boni multa, & diversa prorsus continentur, nequit inde deduci, quod ex necessitate ad hoc, vel illud moveatur. Si ad finem Beatitudinis nonnisi unicâ tantum viâ pervenire possemus, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea, quæ ducunt ad illum. Quoniam vero multis, diversisque mediis, uti sæpius dictum est, felicitatem consequi possumus, unius etiam, vel alterius assecutione prætermissâ, ideò licet homo ex necessitate velit Beatitudinem, ad nullum tamen eorum, quibus finem intendit, necessariò determinatur. In rebus enim Creatis neque unicum tantummodo bonum est, neque unicum felicitatis habendæ medium (b): & incapax est Finitum Ens (c) animorum explere desiderium, quo unico casu absque ullâ indifferentiâ appeteretur (d).

XXXVI.

---

sam = Hinc vero oppositionem magis extulit de Malo q. 6. a. unico num. 9. inquiens = Ubi idem est motivum, & idem mobile, est & idem modus movendi. Sed cum aliquis vult finem, & ea, quæ sunt ad finem, idem est, quod movetur, scilicet voluntas, & idem est movens, quia ea, quæ sunt ad finem, non vult aliquis, nisi inquantum vult finem: ergo idem est modus movendi, ut scilicet sicut aliquis ex necessitate vult finem ultimum, ita ex necessitate vult ea, quæ sunt ad finem = III. Sicut apprehensum secundum sensum est objectum appetitus sensitivi, ita apprehensum secundum intellectum est objectum intellectivi appetitus, qui dicitur voluntas. Sed apprehensum secundum sensum ex necessitate movet appetitum sensitivum..... ergo videtur quod apprehensum secundum intellectum ex necessitate moveat voluntatem. =

(a) *Num.* 27. (b) *Num.* 24. (c) *Num.* 30.

(d) *Nil equidem hìc de novo contra Collinium adduximus, aut è nostro penu deprømptum: sed ea tantum, quæ celeberrimus Doctor Aquinas breviter explicavit supradictis objectionibus respondens, tum in citatâ quæstione de Malo, tum in 82. Primæ Partis a. 2. ubi ait = Voluntas in nihil potest tendere, nisi sub ratione boni, tamen, quoniam bonum est multiplex,*

ideò

XXXVI. Neque putet cum Collinio (a) Voltairius, indifferentes non esse homines, eò quod sub ratione mali, atque noxii nequeant malum ipsum appetere. In hoc enim indifferentes non sunt, sed bene in aliis quãplurimis, cum nempe propositis bonis animæ pluribus ad unum aut aliud eligendum necessariò illa non trahatur. Revera proprietas ne esset animæ, an imperfectio, si posset appetere malum sub ideâ mali consideratum? Liberine, an stupidi, dementesque forent homines, si valerent unquam casu, & nullo consilio eligere, quæ sibi damnum afferre cognoscunt? Hæc nobiscum ipse Bælius non diffitetur (b), & pluribus ea ostenduntur a Leibnitzio contra authorem operis in Anglia editi de *Origine mali*. Atque ut intelligant omnes, in quo adver[illegible] consistat error, quærimus cum Lokio (c) an vellet aliquis esse imbecillis intellectu, eoquod hic rectitudine judiciorum minus, quam Sapiens determinetur? Nemo quidem. Libertatis idcircò nomen tribuere facultati, quâ dementes videri queamus, & efficiamur pupa dedecoris, miseriæque ludus, non erit fortasse tantum nomen inquinare? Si in eo Libertas esset, ut rationis jugum excuteremus, & quodcumque pejus videatur, amplecteremur, amentes quidem, & stupidi forent vere, ac unicè liberi. Ipse Deus necessariò tendit ad Beatitudinem, & quò validior est in intelligenti substantiâ illa necessitas, eò plures in ipsâ gradus inveniuntur perfectionum, & infinitæ felicitatis. Revera si ostensum superiùs est, indifferentiam contrarietatis, quâ possumus eligere mala, dum utilitatis, & boni specie repræsentantur, esse miserum humanæ naturæ defectum, eoque Beatos verâ perfectione fruentes exspoliari, quanto major esset animæ imperfectio, si malum velle posset, quod noxium, malumque considerat? Testis mihi sit quisque Sapiens, si tam stolidâ indifferentiâ, an potius ejusdem privatione gauderet. Malè ergo ideam dotis illius, de quâ loquimur, intelligit Collinius: sed posito animi scopo, ut semper ad bonum genericè sumptum, propriamque felicitatem determinetur, indifferentiâ pollet præstantissimâ, si a nullo peculiari bono invictè trahatur, sed unum eligat, aut alterum, prout sibi optimum esse cognoscit.

XXXVII. At secundum de internâ animi inquietitudine difficulta-

E tis

---

ideò non determinatur ad unum = & infra ad II. = Movens tunc ex necessitate caussat motum in mobili, quando potestas moventis excedit mobile, ita quod tota ejus possibilitas moventi subditur. Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni Universalis, & perfecti, non subjicitur tota alicui particulari bono, & ideò non ex necessitate movetur ab illo = Hisce autẽ responsionibus quid aptius inveniri possit, non video. Instent ergo contra hujusmodi Doctrinas adversarii, si valent, non easdem reproducant difficultates.

(a) *Rech. sur la Lib. pag. 343.*
(b) *Rep. au Provinc. c. 90. T. 2. p. 221.*
(c) *De int. hum. L. 2. c. 21. a §. 50. usq. ad 53.*

tis propositæ caput diluamus. Cum inquietitudo sit animi commotio quædam ex ideâ præsentis mali, vel bonorum absentium excitata, qui pro lubitu suis ideis uti potest, animum ab unâ detorquens, vel objectum quoque oppositum sibi repræsentans, poterit majorem aliam inquietitudinem priori contrariam menti excitare, quâ novus actus præferatur. Irrequietus est in exercitu Imperator, si aptum cōmittendi prœlii tempus esse noverit, & militum ardor, & loci conditio, & hostium pavor spe certa excitent animos ad victoriam: ad præliandum autem necessariò non cogitur: habet enim in illa sua inquietitudine vim ad oppositū, quâ possit solâ imaginatione major aliquis dolor, & inquietitudo excitari, si nempe ad ideā pœnæ mox subeundæ convertat animum, dum injussus, & inscio Aulicorum Consilio decertet. Timorem idcircò futuræ Crucis, & ideam dedecoris sequuturi solemus alicui injicere, qui adversarium necandi desiderio flagraret, neque aliâ potissimum ratione, quam ut prior ultionis patrandæ inquietitudo subsequenti, & oppositâ novis ideis, judiciisque debilitetur. Clariùs ista patefient, ubi ultimum dictamen intellectus, item passiones, animique habitudinem non parere in animo necessitatem ostendemus (unum enim alteri præstat opem); sed nonnulla tantum liceat hic ad rem nostram ex Lockio adducere, ut ulterius veritas ipsa elucescat. Quoniam, inquit ille (*a*) plurimus in nobis inquietitudinum numerus inve--tur, quæ animam premunt undique, & quæ continuò voluntatem determinandi potentiam habent, cōtingit ideò, ut earum vehementior ad proximam actionem incitet, & rapiat voluntatem, sed neque infallibiliter, neque perpetuò. Anima enim proprii desiderii executionem valet impedire, uti evidenter in nobis ipsis experimur; unde habet ipsa Libertatem, qua inquietitudines quascumque seriò consideret, earum examinet objecta, simul conferat, omnique ex parte introspiciat. In hoc hominum Libertas sita est; & deordinatum ipsius exercitium, dum illâ abutimur, tam multiplicem gignit errorum, defectuumque varietatem, in quâ, licet inquiramus felicitatem, misere volutamur. Sæpe scilicet citiùs, quam par est, voluntatem ad agendum determinamus, peculiarium ex utrâque parte bonorum, sive utilium, sive honestorum, examine prætermisso. *Necessaria ergo non erit anima, quamvis utile tantummodo eligat, ne a suâ quiete ob aliquod noxium deturbetur.*

XXXVIII. Sed ventum est eò, quò me jampridem ducebat cupiditas, ut scilicet ostendam intellectus motiva, ipsamque *Rationem* bonum aliquod in objecto repræsentantem vim nobis necessariā non inferre, qua illud appetamus. Inclinationes, & declinationes animæ immediate pendent a dolore, & voluptate; cum autem dolor, atque voluptas unicè oriantur a perceptionibus boni, vel mali, erunt repræsentationes istæ actionum nostrarum caussæ, & *motiva* voluntatis. Anima enim rationabiliter

agens

(a) *De int. hum. L. 2. c. 21. §. 47.*

agens ea debet eligere media, quibus ad finem proprium, five felicitatem duci arbitretur, neque ei Beatitudinis media videri possunt, nisi quæ sub boni specie considerat. Hinc adversarii autumant, voluntatem necessariò trahi ad agendum. Intellectus enim, inquiunt, est cœca facultas, quæ recipit ideas, & voluntas item cœca, quæ se non determinat, nisi juxta ideas ab intellectu repræsentatas. Non dependet equidem a nobis ideas concipere, vel in earum ignoratione versari: & certitudinis, atque probabilitatis relationes, quæ sunt inter illas, caussam habent necessariam in externâ objectorum actione; neque intellectus liber est, neque agit, sed producuntur tantum in illo boni, & mali perceptiones, quas necessariò considerat (a). Concedunt autem voluntatem agere, sed indifferentem negant, utpote quæ sequatur *ultimum dictamen intellectus*, & se peculiariter juxta vim hujus necessariæ caussæ determinet.

XXXIX. Atvero ut hæc omnia refutetur, animadvertimus cũ viro Clarissimo Condigliac (b) intellectũ, atque volũtatem fieri ab adversariis duo Phantasmata, quæ nonnisi in eorum imaginatiõe existunt, quæq. si talia essent, nemo foret tam rudis, atq; stupidus, qui pro arbitrii indifferentiâ contenderet. Sed vereor, inquiebat Lokius (c), ne modus ille quo loquuntur Philosophi de Animæ facultatibus, repræsentet eis ideam confusam plurĩũ agentium, qui distincti ad invicem existant in nobis, habeantque diversas potentias, & actiones, qui jubeant, & obediant, quique plurima diversimode exequantur. Hoc enim produxit unicè infinitas disputationes Philosophorum obscurissimas simul, & incertas in quæstionibus, quæ ad hasce diversas animæ facultates referuntur. Et jurè timebat vir clarissimus. Nos animam non dividimus in intellectum, & voluntatem, neque sanus ullus id efficiet: hisce namque abstractionibus nobiscum utantur, si velint, Philosophi, ut bene, & singillatim intelligant varias animæ actiones, quæ simul unico intuitu perspicuè considerari non possent; sed retineant hic vim phantasiæ, neque ad Entia in animo multiplicanda progrediantur. Locus non est differendi de Realistarum turbis contra Nominales excitatis, ut ostendamus, quam magno Philosophiæ incommodo, & veritatis detrimento, vel potius, quam ratione, præsertim in Galliis, vicerint illi, ideasque Universales, & abstractas non esse puros animæ conceptus, sed repræsentare objecta verè existentia, aut saltem possibilia, concluserint. Barbarico Litterarum seculo talia debebantur. Sed illud non sine animi mœrore fateri cogor, plures quoque Philosophos hujusce indifferẽtiæ vindices ita locutos esse de animâ, ut intellectum, & voluntatem, veluti partes realiter diversas, distinxisse videantur. Quâ enim de caussâ quæstiones tanto animi ardore agitarunt, utrum judicium pertineat ad intel-

 lectum,

(a) *Le Philos. Ignor. doute XIII.*
(b) *Essai sur l'origin. des conn. hum. t. 1. sect. 5. §. 11.*
(c) *De int. hum. L. 2. c. 21. §. 6.*

lectum, an voluntatem, utrum sint hæc duo æquè activa, & æque libera, utrum volũtas sit cujusdam cognitionis capax, an cœca facultas, utrum imperet, an obediat intellectui, quibus fortasse adversariis nostris viā patefecerint, ut contra indifferentiā animi disputarēt: Voltairium itaque, & alios quoscũque simili modo arguētes moneo, ut relictis ideis abstractis proprias cogitatiões ad analysim reducant; itemq; rationē prospiciant, sub quâ Entia sive voluntati, sive intellectui objiciuntur, ut nodus omnis dissolvatur.

XL. Una est in nobis anima simplex, & indivisa, quæ agit: hæc objecta considerat, hæc objecta cupit, & adversatur: neque illud Ens, cui boni, & mali perceptio tribuitur, diversũ est ab eo, quod a malo declinans movetur in bonum, ita ut, qui dixerit necessariam voluntatem circa ultimum finem, id unice velit, necessarium circa illum esse intellectũ, quique voluntatem indifferentem esse contenderit in volitionibus bonorum hujusce Universitatis, ille ipse nil defendat, nisi intellectum circa eadem Bona sibi repræsentanda esse indifferentem. Judicium nempe, quo anima uti diligendam agnoscit Beatitudinem, Bonumque genericè sumptum, est necessarium, determinatum, immutabile: non potest enim aliud veluti Summum Bonum percipere, sicuti non potest aliud uti Summum Bonum appetere: judicium vero, quo videt peculiaria objecta, uti amabilia, est indeterminatum, indifferens, mutabile, cum ipsa bonitatis perceptio possit aliis quoque Entibus aptari, & considerētur ista tanquam media fel non tanquam unica media felicitatis. Hinc voluntas circa ea indifferens non est aliud, nisi judicium indifferens.

XLI. Duo in qualibet actione animi, sive judicium sit, sive volitio, sunt perpendenda, scilicet actus *exercitium*, ejusdemque *specificatio* (ipsæ enim Scholasticæ res Scholastica verba trahunt). Quod autem attinet ad primum, mens a nullo unquā objecto ex necessitate movetur: potest enim de re quâlibet actu non cogitare, & illam actu non velle: quoad alteram vero, ab infinito unicè Bono, uti inquiebam, rapitur necessariò, non ab aliis, aut judicet tantummodo, aut etiam judicata desideret. Nam tangitur animus amore suæ felicitatis, & in Universo quærit, quæ illam producere possint, ut ea postquam invenerit, amplexetur: sed quis unquā asseret, disquisitionem hujusmodi esse necessariam, & ad unum singulariter determinatam, si non unum, sed plura bona honesta, utilia, vera, apparentia perpendat, & quia nullum ex iis videtur unicè, vel necessariò felicitati connexũ, nullum percipiat veluti medium singulare, nullum appetat, uti unicum bonum? Anne objecta considerantes bonorum malorum que rationes non inquirimus, in iisque immoramur, ut pondus decrescat, vel augeatur? Anne sæpius opposita momenta in medium non adducimus, quò objectum aliquod uti melius nobis ipsi proponamus (a)? Judicium itaque

(a) *Hinc respondens Divus Thomas ad III. quod sibi opposuerat (Vide notam numeri 34.) inquit = Vis sensitiva non est vis collativa diversorum, sed*

que non erit determinatum ad unum: quare nec animi volitio, quæ ab illo pendet, necessaria.

XLII. Sed intellectum ideas tantummodo recipere, & nonnisi passivè animam in cogitando se gerere, contendebant adversarii. Quis ergo hasce perceptiones efformat, quæ intellectui tribuuntur? Materiane, an Deus? Utrumque falsum; neque paucis id ostensum est a Metaphysicis contra Hobelium de animi Spiritualitate, & contra Malebrankium in systemate caussarum occasionalium. Atque hic redarguendus est quoq. Lokius, qui percipiendi potentiam realiter passivam esse statuit (a) eo quod actione exterioris substantiæ percipiamus, licet ibi agentis nomine id videatur intellexisse, quod independenter ab alterius Entis occasione operetur, & in facultate revocandi absentes ideas, easque invicem conferendi potentiam vere activam recognoscat. Externum scilicet objectum agit quodammodo supra animam, eam excitans: sed Materiæ motus in cerebro sistit, ne transeat in mentem; cumque imago veluti illa, quæ animo objicitur, ex materiæ sinu non eruatur, sed unicè fiat ab ipso, aget idem animus realiter in intelligendo. Scio instare adversarios, saltem percipere Animam juxta motus ab objecto in fluidis, cerebroque productos: sed advertant illi, duo esse in intellectione consideranda, unum scilicet necessarium, aliud indifferens. Apertis nempe oculis, iisque in solem defixis, sive velim, sive nolim, imago ejusdem in animâ repræsentatur: sed interim in meâ potestate esse sentio, hanc ideam contemplari, conferre cum aliis, componere decomponere. Baculum quippe rectum videre nequit animus, si partim in aquam, partim in aërem demergatur: Sed sensationem, & ideam corrigere potis est, judicãs & illum rectum esse, & ob medii diversitatem sibi curvum apparere. Appositè Augustinus (b) = *Quid tibi videtur adolescens pulcherrimus fur? quomodo horrent oculi tui? Numquid oculi carnis horrent? Si ipsos interroges, nihil illo corpore compositius: & parilitas membrorum, & coloris delectatio illicit oculos; & tamen cum scias, quia fur est, fugis hominem animo. Vides ex aliâ parte senem curvum, vix se moventem, rugis exaratum: quid vides quod oculos delectet? Scis, quia justus est, amas, amplecteris* = Licet itaque secũdum Corporeos cerebri motus percipiat anima, ejus tamen actio, dum intelligit, non determinatur unicè, & necessariò ad ea, quæ a sensibus de objectis referuntur (c).

XLIII.

---

sed simpliciter aliquid unum apprehendit: & ideò secundum illud unum determinatè movet appetitum sensitivum: sed ratio est collativa plurium, & ideò ex pluribus moveri potest appetitus intellectivus, scilicet voluntas, & non ex necessitate =

(a) *De int. hum. l. 2. c. 21. §. 72.* (b) *Tract. 3. in Joan. n. 21.*

(c) *In hoc unicè sensu, quem explicavimus, vera est, quantum video, Scholasticorum, Malebrankii, VVolphi, aliorumque sententia, qui contra* Arnal-

XLIII. Indulgeat mihi quæsò benevolus Lector, si nimis longâ oratione vela faciam in re tam perspicuâ ostendenda, quod nempe anima dum intelligit, neque semper, neque in omnibus agat juxta determinationem objecti externi, nullamque ab eo necessitatem patiatur. Sive enim Collinium audias, sive Voltairium, sive quemcumque alium ex recentibus Libertatis osoribus, ad nauseam usque semper idem & asserunt, & repetunt, aut animam agere sine ratione, quod est absurdum, aut ab ipsâ ratione necessitari, cum intellectus nullo pacto sit indifferens. Quod equidem, licet ab aliis pro Libertate agentibus sit refutatum, non est nihilominus, quantum scio, ita refutatum, ut nulla ex adversâ parte dubitationis alea remanserit. Liceat itaque mihi paululum in hisce immorari, quæ potissimum a disputationis nostræ scopo prorsus aliena non sunt, quoniam animum in intelligendo indifferentem esse ostendentes, quod nobis quoque de humanâ Libertate propositum erat, demonstramus.

XLIV. Qui Voltairium legeret de Lokio disputantem, ejusque opinionem circa animi indifferentiam adducentem, attendens, quâ fronte acutus interpres in suas partes trahat illum, asseratque ex Lokii Doctrinis tum se, tum ipsum Collinium plurimum luminis derivasse ad statuendam in animo necessitatem, eo quòd voluntas indifferens videbatur Lokio chimærica, & prorsus absurda (*a*), miraretur equidem, immò non crederet, Lokium ipsum de humano intellectu, ejusque libero progressu in actibus suis tam acutè, & analyticè disserentem mutata deinde facie animi indifferentiam denegasse. Nostra non attinet Lokii mentem a Voltairi calumniis vindicare, ejusque sententiam ostendere nonnisi verbis distinctam ab ea, quam hic defendimus, cum ipse *Voluntati* libertatem negaverit, non *Animo*, *peculiari* scilicet *Potentiæ*, non *Agenti* (*b*); præsertim vero quod hoc abundè pateat ex illius operibus (*c*) & ejusdem argumentis,

quæ

Arnaldum ideas a perceptionibus distinquendas esse contendebant: intelligendum scilicet est, repræsentationem objecti sequi naturam sensationis, & nullam animæ potestatem inesse quidquam in ideis immutandi, quod in sensatione inveniatur, ut dulcedinem sentire nequeat, dum lingua tangit amarum; sed diversam penitus esse actionem, quæ fit ab animâ, dum habitam ideam contemplatur, & examinat, quia illam corrigit, comparat, decomponit summâ, quâ fieri potest, arbitrii indifferentiâ.

(a) *Vide Nonnotte = Erreurs de Voltaire T. 2. c. XI. de la Libertè = & Voltairium ipsum Philos. Ignor. doute 13. & præsertim 29. de Loke. ubi ait = Loke me confirme dans l'opinion, que j'ai toujours euë ... qu'il est absurde au fond de dire = La volontè est libre, puisqu'il est absurde de dire = je veux vouloir cette chose = car c'est precisement, comme si on disait = je desire de la desirer, je crains de la craindre = qu'en fin la volontè n'est pas plus libre quelle n'est bleuë, ou quarrée. =*

(b) *Vide suprà n. 3.* (c) *De int. hum. l. 2. c. 21.*

quæ passim in disputationis decursu pro nobis adducimus. Illud tamen assero, quod non nisi perpetua Universi sui operis contradictione potuisset Lokius animi necessitatem ex objectis intelligibilibus eruere. Neque enim illæ haberentur animæ cogitantis actiones, quarum nemo melius genesim explicavit, nisi summa frueremur indifferentia, aut necessariò dum cogitamus ab uno, vel alio objecto determinaremur. Si enim Anima libera non esset in intelligendo, quomodo seligeret signa idearum, quæ arbitraria dicuntur ad differentiam naturalium, & accidentalium, eo quòd nempe ex proprio lubitu inveniantur absque ulla dependentia ab objectis externis? Quomodo Imaginationem, Memoriam, Reflexionem exerceret? Quomodo ideas abstraheret, componeret, ad analysim reduceret, quæ omnia demonstravit Lockius haberi non posse, nisi Anima suis intellectionibus libere dominetur? Non possemus ergo præteritas ideas in mentem revocare, nisi excitati externa sensatione objectorum, quæ illis vinciuntur: neque aliud haberemus intelligentiæ exercitium, nisi quod præsentes indigentiæ producerent. Quæ quidem falsa sunt; & inde videtis ex intellectus actionibus iterum probari animæ indifferentiam, non destrui, quod penitus pessumdat adversarios (*a*).

XLV. Hoc erat plenè ostendendum, ut eorum difficultas everteretur, quæ potissimum, supposito intellectu penitus indifferenti, ulla responsione non indigebat. Et quamvis adductam *rationis*, ut inquiunt, *necessitantis ex ultimo intellectus dictamine* objectionem pro nihilo Clarkius reputaverit (*b*) tamen fatendum est, responsiones, quas ibi tradidit Vir Clarissimus, vim argumenti non evellere, sed confirmare. Contendit enim *ultimum dictamen intellectus* non esse, nisi postremam determinationem hominis, qui statuit eligere aliquid, vel adversari, postquam de eo diligentissime deliberaverit (quibus verbis intelligitur ipsa rei volitio), aut saltem se habere, uti motivum aliquod, cur anima determinetur, non vero, uti causam efficientem. Hæc equidem in citatis non arguuntur; sed in responsionibus epistolarum, quas ad calcem affert, concedit animam in examine propositionum, sive ad scientiam sive ad praxim pertinentium pure passivam, & necessariò determinatam esse, quod absolutè negandum erat; unde im-

plicat-

(a) *Breviter hic animadverto, præcipuum inter brutorum, hominumque intelligentiam illud esse discrimen, quod hi tale jus habeant supra suas ideas, ut possint illas quomodolibet disponere, separare, abstrahere, componere independenter ab actualitate externarum sensationum; illa vero indifferentiæ defectu, dependeant immobiliter ab externo, easque perceptiones unicè habeant, quas objecta præsentia, & actuales indigentiæ excitabunt. Hinc in novis inventionibus scientiarum, aliorumque excellit humanum ingenium, quod non observatur in brutis, quæ ordinem servant semper eundem, uti in telis Araneæ, & Aves in compositione nidorum.*

(b) *De l'Ex. de Dieu Ch. XI.*

plicat sese quæstionibus infinitis, & illuc denique pervenit, ut aliam animo indifferentiam relinquere nequeat, nisi qua unice attentio convertatur ad cœtera, & intelligentia rerum compescatur. Postquam enim ad bonum aliquod conciniendum mens fuerit applicata, si ultimum intellectus dictamen ex Clarkio sit necessarium, amplius non erit illa indifferens ut eligat, vel adversetur: Nam in eo casu aut ipsa volitio est necessaria, quam unam, eandemque esse cum ultimo intellectus dictamine asseruit, aut a necessaria causa determinatur. Hoc equidem contendebant adversarii: hoc idem Clarkio Doctor ipse Cantabrigensis opposuit. Reverà en ejus objectionem: Cur judicium illud, inquiebat epistolâ prima, quo utilius nobis esse statuimus, hoc potius, quam illo bono satisfieri, eandem non habet necessitatem, ac eam, quâ Geometra judicat, triangulum in eâdem basi, & altitudine esse quadrati dimidium? Et hac judicii necessitate supposita, cum homo perfectam non habeat undequaque naturam, credet ipse actionem optimam esse, quæ interim erit impia, eamque eliget, idest necessariò a bonitate, & propria justitia deficiet. Quomodo itaque, instat ille, fiet Creatura debitrix Summo Numini, si tali perfectione careat, quam neque Deus ei dedit unquam, neque potuit ipsa in se ullo pacto producere? Cui potissimum objectioni, ut Clarkius satisfaciat, concedit, judicium, quo ad electionem movemur, esse necessarium, ipsam vero electionem contendit indifferentem, eo quòd aliud est, inquit ibidem, judicare, aliud agere, & hæc duo a principiis pendent toto Cœlo diversis: quasi non eadem Anima intelligeret, non eadem deinde res intellectas amplecteretur. Absurde itaque loquitur, & hisce responsionibus unice probare potest animam agentem esse in volitionibus rerum intellectarum, non patientem, sed ita numquam ostendet, quod agat illa absque necessitate, cum semel concesserit, Voluntatem à caussa necessaria, scilicet ab intellectu, determinari.

XLVI. Ex principiis ergo supra positis acuto Doctori id potius respõdendũ fuisset ex D. Thoma (*a*), quod scilicet speculativa judicia fiant a nobis necessariò, si de axiomatibus loquamur, aut de propositionibus iis, quibus denegatis principia ipsa evelli evidẽter agnoscimus, summa vero indifferentia, si aliquos tantũmodo probabilitatis gradus observemus, ut eorum connexio cum axiomatibus non appareat, vel oppositum quoque sub veritatis specie videatur. Non absimili potissimum ratione tendimus necessariò ad felicitatem, uti axiomatibus evidenter conceptis anima assentitur. Sed practica judicia, quæ efformamus ad Beatitudinis eligenda media, respiciunt pro objectis ea, quorum nullum est necessariò, & unicè cum felicitate

(a) *S. Th. 1. 2. q 10. a. 2. ait = Intellectus ex necessitate movetur à tali objecto, quod est semper, & ex necessitate verum, non autem ab eo, quod potest esse verum, & falsum. = Ad majorem Claritatem confer num. 29.*

licitate connexum, quæve saltem sub tali connexionis ideâ nobis non apparent, sive ob impetum concupiscentiæ, sive ob tenebras intellectus, sive ob humanarum, terrestriumque rerum dilectionem, sive quod majus est, Divinæ visionis certitudine in hâc mortali vita deficiente. Quamvis autem in judiciis speculativis facilius, & majori claritate, quam in practicis agnoscatur connexio propositionis cum axiomate, aliisque veritatibus, & idcirco in illis, non vero in hisce necessitari videamur: nobis tamen tribuendum semper est, si connexionem actionis cum ipsa reali felicitate, deliberationis, & examinis ope, non agnoscamus. Quemadmodum enim reprehendendus esset Geometra, qui triangulum, datâ hypothesi ejusdem basis, & altitudinis, in ratione subsesquialtera ad rectangulum se habere contenderet, quamvis ab ultimo sui intellectus dictamine raptum fuisse clamaret, eo quod scilicet, cum potuisset simul, & debuisset, ad evidentia principia, eorumque certas conclusiones non attenderit, ita quidem redarguitur practicum hominis judicium, si actualem animi satisfactionem damnis in posterum sequuturis anteponat, vel quodcumque malum sub boni specie amplexetur; illius enim judicii, sive principium videas, sive progressum, prorsus indifferens, & ab omni necessitate immunis fuit determinatio. Quamvis, inquiebat appositè Lokius (a), voluntas inclinet ad ea, quæ ab intellectu, uti bona repræsentantur, inde tamen impius ullo pacto non excusatur, si quadam electione præproperâ falsas sibi imposuit Boni, Malique rationes, quæ falsæ quidem, & erroneæ, uti sunt, influunt supra vitæ suæ modum, ac si justæ forent. Neque Lex æterna, & rerum natura immutari debent, ut ejus electionibus inordinatis adaptentur. Quia malè usus est libertate examinandi ea, quæ realiter ad felicitatem ducere possunt, erravit; & quæ inde sequuntur damna, sive noxia consectaria, ejus electioni, tanquam caussæ, sunt tribuenda. Poterat ille determinationem suspendere; & hanc habuit facultatem, ut unicè examinaret, propriamque felicitatem recto animo inspiceret, ne in errorem a se ipso induceretur: neque suaderi debebat, expediens sibi esse potius, si falleretur, quam si rectè judicaret de rebus, quæ tam proximè ad se pertinebant. Ethica potissimum veridicis innixa fundamentis ad virtutem unicè movet electiones ejus, qui suos actus velit seriò perpendere; & ille, qui a ratione deficit, si attento animo de Bono, & Malo non meditetur, redarguitur a se ipso, cum non utatur, uti debet, propriâ intelligentiâ. Certò sciens ex: gr: judex, aliquem esse insontem, immo quocunque munere, aut alia de caussâ damnari non posse innocentiam, si interim illum capite plectat, eo quòd actualiter ultimum sui intellectus dictamen ab auri sacrâ fame, sive a Zelotypiâ, aliisque caussis ita determinetur, idem præstabit, ac si aliquis de solis distantiâ certus, & de magnitudinis apparentis necessariâ diminutione suasus ab latera anguli Optici infinitè lon-

 ga,

(a) *De int. hum. L. 2. c. 21. §. 56., & 70.*

ga, judicet nihilominus sensuum errorem non esse corrigendum, ipsumque Solem cum Epicuro fortasse bipedalem.

XLVII. Errabat itaque in principiis Voltairius inquiens (*a*) = *Ego necessariò volo, quod volo, aliter vellem sine ratione, & sine caussâ, quod est absurdum* = Propria enim Ratio, qua determinamur, non destruit electionis indifferentiam, sed potius illam ostendit. Neque hic tempus terendum est in Helvetii sophismatibus confutandis, quæ ad vim similiter pertinent animæ a *motivis* illatam. Nil enim de novo affertur, quod a Collinio, & Voltairio non opponatur, quodque non sit a nobis fusius fortasse, quam par erat, refutatum (*b*). Quomodo enim media eligentur, in quo omnis indifferentia consistit, nisi prius inspiciatur, quæ sint vera media finis obtinendi? Ille unicè agit judicio indifferenti, qui pollet intellectu, ut Universalem boni rationem agnoscat, & inde eam peculiaribus aptet Entibus: unde ubicumque est intellectus, erit quoque absque ullâ necessitate eligendi arbitrium. Revera omnia ex ordinatione Divini regiminis ad suum finem tendere debent: quæ vero intellectu carent, agunt quasi in finem ab alio directa, uti sagittæ motus est ad signum ex directione sagittantis; at in iis, quæ directè in finem proprium operantur, cognitio finis ipsius, & medii requiritur, item & debitæ proportionis inter utrumque, quod est solius intelligentis.

XLVIII. Hinc saniores Philosophi indifferentiæ radicem in propriâ mentis ratione posuerunt; quod nempe, nisi animus agnosceret, bona hujus Mundi neque Summa esse, neque infinitæ intensitatis, aut si intelligentia ab externis objectis absolutè penderet, indifferens nulla foret electio. Fingite quæso, inquiebat Lokius (*c*), perfectam in animo indifferentiam, quæ a proprio boni, malique judicio determinari non possit.

(a) *Ph. Ignor. doute 13.*

(b) *Helvet. de l'Esprit disc. 1. ch. 4. Inquit = On ne pourroit entendre par ce mot de Liberté, que le pouvoir libre de vouloir, ou de ne pas vouloir une chose. Ce pouvoir supposeroit, qu'il peut y avoir des volontés sans motifs, & par consequent des effets sans cause. Il faudroit donc, que nous pouffions également nous vouloir du bien, & du mal, supposition absolument impossible.. Si le desir du plaisir est le principe de toutes nos actions, si tous les hommes tendent continuellement vers leur bonneur réel, ou apparent, toutes nos volontés ne sont donc, que l'effet de cette tendence = Vide itaque si lubet, quæ hic diximus à num. 39. Ut vero huic ultimæ Helvetii difficultati satisfacias, confer ea, quæ allata sunt num. 27., & seq., ubi peculiarium bonorum electiones demonstravimus effectus esse naturalis desiderii, quo trahimur ad Beatitudinem, sed non effectus ad unum determinatos; quamvis enim excitentur ab amore necessario, tamen indifferenti quâdam deliberatione diriguntur, & ad objecta, quæ non sunt Summum Bonum, referuntur.*

(c) *De int. hum. L. 2. c. 21. §. 48.*

sit. Non erit hæc equidem intelligentis naturæ perfectio: immo ille animi status eadem ratione erit imperfectus, ac si nulla adesset agendi ex lubitu, vel quiescendi facultas. Quis humanam naturam non agnosceret imperfectiorem, si manum supra caput elevandi, vel deprimendi potentiâ careret? Sed impar non foret ejus conditio, si facultatem eandem vagam haberet, quoties caput ipsum, aut oculos a baculi decidentis impetu defendere vellet, absque eò quod ab hac rationabili voluntate determinaretur. Utilius est igitur, ut hæc agendi potentia rationibus intimis moveatur, cum omnino illa orbaremur, si alterius actioni potius, quam sibi ipsi pareret animus; qui equidem quò magis ab interno regitur, eò remotior est a miseriis, & mancipatu. Quid valet illa, utar Tullii sententiis (a), eloquentissimi viri L. Crassi copiosa magis, quam Sapiens oratio? *ERIPITE NOS EX SERVITUTE*: Quæ est illa servitus tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi debilitati, & humilis, & fracti timiditas, servitus est. *NOLITE SINERE NOS CUIQUAM SERVIRE*. In libertatem vindicari vult? Minime. Quid enim! adjungit: *NISI VOBIS UNIVERSIS*. Dominum mutare, non liber esse vult. *QUIBUS ET POSSUMUS, ET DEBEMUS*. *Nos vero*, reponebat Cicero, *siquidem animo excelso, & alto, & virtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus: tu posse te dicito, quoniam quidem potes: debere ne dixeris, quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe, non reddere*. Adeò erat illud Sapientis animo infixum, solum esse liberum, qui unicè propriæ rationi, non aliis quibuscumque obediret. Et ne a D. Thomæ argumentis recedamus, particularia operabilia esse quædam contingentia ostendebat ille (b), atque ideò circa ea judicium rationis ad diversa se habere, non ad unum, unde & opus esse, ut homo haberetur indifferentis arbitrii ex hoc ipso, quod erat rationalis. Neque aliunde est, quòd actiones ex boni desiderio, & aversatione mali inconsulta ratione provenientes, quæ motus primò primi vocantur, *morales*, & *humanæ* a nemine æstimentur, neque sint prœmio dignæ, vel pœna. Sed hæc viderint Ethici.

XLIX. Antequam vero de motivis humanarũ electionũ, sive de ideis boni, & mali disputationẽ relinquamus, animadverto sæpius dixisse adversarios, volitiones a motivis pendere, uti effectus à caussâ (c), quo incauti fortasse, ni distinxerint, in errorem inducentur. Equidem nisi homo a propriâ ratione ad eligendum moveretur, hoc unicum foret absurdum, quod scilicet sui arbitrii dominus non esset, non vero, quod effectus sine caussa contingeret. Ipsa enim motiva animam determinantia in electionem non influunt tanquam *caussæ efficientes*, sed purè moraliter, cum effectus nonnisi ab activâ substantia produci valeat, & vim eligendi regant illa tantummodo, non constituant. Revera hæc agendi facultas nisi tradita nobis esset a Deo cum aliis unà muneribus in Creatione concessis, quâcum-

(a) *Paradox. 5.* (b) 1. *P. q.* 83. (c) *Vide num.* 47.

que positâ boni, aut mali repræsentatione numquam eligeremus. Sunt motiva in animo agente, quod est frœnum in equo (vilis potissimum, & in adæquata, sed ad claritatem satis apta similitudo) ad ejus vim motricem undequaque regendam. Non sunt enim habenæ, quæ se movendi, & à rectà deviandi potentiam in equo consistuunt, sed illam tantummodo dirigunt, qua intimè pollet animal; ita ut deficiente frœno, vel utrolibet æquè tenso, nemo inficietur, posse equum vi sua superstite huc, vel illuc deviare. Constitutis ita pariter duobus bonis æqualibus, anima eligit. Dentur enim duo munera, quorum omnia intrinseca sint eadem, extrinseca vero, cum diversa esse debeant, nonnisi confusè ab animo percipiantur: Scilicet claudantur in capsulâ, & duobus tantummodo caracteribus A. & B. voce largientis designentur; tumque optio detur homini, ut ex iis unum eligat. In eo equidem casu, etsi peculiarem in animo appetitum excitare illa nequirent, quæ ex hypothesi vim habent æqualem, posset tamen anima, eo quod sui juris est, & eligendi vim habet sibi propriam a motivis hisce non productam, sed inditam a Creatore, pollet, inquam, ipsa per se, vi suâ superstite, novas actiones, voluntatesque suscipere, ac unum eligens in alterutram partem determinari (*a*).

L. Quibus omnibus ritè intellectis non esset cunctandum, profiteri, si modo investigari aliquid humanâ ratione potest, animi electiones ab ejus naturâ ad unum non determinari, neque idcirco intimæ effectus esse necessitatis. Sed veritatis oppugnatoribus non deficiunt aliæ quædam latebræ, aliique recessus, ex quibus fons necessitatis in eligendo deducatur. Ad constitutionem itaque animi, sive statum illum convertuntur, qui oritur ex habitibus intellectualibus, & moralibus, ex adfectibus, & præsentibus ideis; cumque sciant, vulgatum in Scholis, *per modum recipientis recipi*, *quidquid recipitur*, concludunt ab hisce vim sumere objectorum impressiones, ipsosque simul & adfectus, & habitus animam ad propria objecta necessariò determinare (*b*), ita ut ultrà conditionem, ideasque suas nil quærat neque rusticus, neque Philosophus. Fateor equidem motiva nostrarum actionum dependere, atque regi ab hujusmodi habitibus, pas-

(a) *Hæc bene si perpendissent Leibnitziani, principium rationis, ut inquiunt, SUFFICIENTIS, sive POTIORIS tanto ardore non defendissent in animâ, quo ad illud tendere videntur, ut dicamus, motiva non regere vim agendi, quæ est in homine, sed illam constituere. Datur enim aliquis fortasse casus, uti in æqualibus hisce, clausisque muneribus, in quo momenta peculiariter animâ diverso modo non incitant sed ipsa sibi est caussa sufficiens sui actus. Eligit enim illa munus ex: gr: B. cum ratione, ne scilicet utriusque jacturam faciat, non vero cum POTIORI Ratione, cum ex hypothesi motivum eligendi unum præ alio non habeat. Legatur Fassonius noster in dissertatione de Principio Rat. Sufficientis Leibnitzianæ.*

(b) *Vide Volt. Ph. Ign. doute 13., & alios*

passionibus, educatione, studiis: at quemadmodum propria boni, & mali ratio vim animæ necessariam non infert ex ostensis, ita pariter neque illa indifferentiam auferunt, quæ non sunt, nisi subsidia quædam, quibus repræsentationes bonorum, malorumque, sive motiva ipsa juventur. Quod enim sæpius repetendum est, & quod unum ad objectiones qualcumque diluendas maxime pertinet, illud suprà demonstravimus, vim scilicet eligendi, & se determinandi propriam esse in animâ, neque ab hisce motivis, aliisque concaussis oriri, sed tantummodo regi, ita ut, quamvis facilius inclinemus ad objecta passionum, nihilominus non ita trahamur, ut anima sui arbitrii domina in agendo non appareat. Hinc necessitas, quæ inde habetur, erit *Moralis*, non *Absoluta*, scilicet quæ animam ut plurimum allicit, sed non aufert potentiam ad oppositum, in quâ Libertas consistuitur. Revera sive utamur cum Tullio (a) in his animi perturbationibus describēdis Stoicorū definitionibus, sive earum genesim cum Lokio (b) inquiramus, qui videntur in hac quæstione versari acutissime, illud certum est, ex reflexione voluptatis, quæ nobis addi potest a bono, *concupiscentiam*, ex reflexione doloris, quem pati possumus a malo, *irascibilitatem* oriri: halce vero esse fontes omnium adfectuum, cum ex prima producatur amor, spes, desiderium, ex altera odium, ira, desperatio, ex utraque timor, audacia, invidia, mœror, æmulatio. Lætitia præsentium bonorum est, libido futurorum; & quæ venientia metuuntur, eadem efficiunt ægritudinem instantia. Opiniones scilicet omnes, atque judicia de hujus Universi Entibus, quæ neque in se ipsis, neque in ideis nostris considerata possunt unicam in animo determinationem excitare.

LI. Quodnam vero est in nobis cujuslibet passionis initium? Dum illam acquirimus, nullam vim experimur, & producitur voluntaria, ac penitus indifferenti animorum dispositione, cujus causæ sumus nos ipsi, in quorum potestate sentimus esse, utrum affectibus illis subjici, an eosdem removere velimus. Incitationes enim objectorum, quantumlibet vehementes non determinant necessario electionem, quia per easdem ex hominibus, qui æqualiter trahi possent, unus frequenter, & non alius exardescit, immò & non raro, altero decidente, qui proclivior forsitan esset, non inducitur. Ut in malis attingit animi naturam corporis similitudo, ita & in bonis: Illud vero animorum, corporumque dissimile esse docebat Cicero (c), quod animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt: & idcirco corporum offensiones sine culpa accidere posse, animorum non item, quorum omnes morbi, & perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt. Revera quo unquam præcipuo argumento animi lineamenta videbantur sapientibus pulchiora, quam corporis, nisi quod ille rectè solus liber esset, nec dominationi cujusdam parens, neque obediens

(a) *Tusc. q. L. 4.* (b) *De int. hum. l. 2. c. 20. §. 3.*
(c) *Tusc. q. L. 4.*

diens cupiditati, rectè invictus, cujus etiam si corpus constringeretur, animo tamen vincula injici nulla possent? At *serò medicinam adhiberi*, cum *mala per longas convaluere moras*, clamabat ille, qui dixerat: *Principiis obsta*. Serò quidem, non vero inutiliter, cum ipsas passiones animo jam infixas examinare, & corrigere valeamus, uti sæpissimè videmus mores hominum, studia, atque propensiones sapientum consiliis, bonorum exemplo, maturâ deliberatione, Ethicæ tandem tum naturalis, tum Christianæ præceptis converti in frugem meliorem. Ægritudinis, & reliquorum animi morborum una sanatio est, omnes opinabiles esse, & voluntarios, eâque re suscipi, quod ita rectum esse videatur. Demus ergo nos, Stoici admonebant, demus ergo nos Philosophiæ excolendos, patiamurque sanari. Quì enim probari potest, ut sibi mederi animus non possit, cum ipse medicinam corporis animus invenerit, cumque ad corporum sanationem multum ipsa corpora, & natura valeat, nec omnes, qui se curari passi sunt, continuò etiam convalescant, animi autem, qui se sanari voluerint, præceptisque sapientium paruerint, sine ulla dubitatione sanentur? Tristis res est sine dubio dolor, aspera, amara, inimica naturæ, ad patiendum, tolerandumque difficilis: animi nihilominus remedium adhibent, naturæque vim inferunt, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concedat. Pendent simili er passiones cæteræ ab intellectu, quem summâ indifferentiâ determinari demonstravimus, cum intendentes considerationibus quibusdam sive amorem, sive iram mitigare, & instigare valeamus. Nonne medemur nobis ipsis, si unquam illud, quod cupimus, consideremus, quam leve, quam contemnendum, quam nihil omnino sit, quam facile vel aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi possit? Nonne ipsa animi ratio passionum injustitiam, ac fœditatem interius accusat, eorumque tranquillitatem turbat, qui a suis affectibus immoderatè subjugari patiuntur? Idem agens argumentum Lokius (a) ad hominum cupiditates regendas opus esse admonet, ut boni, malique realis, non vero apparentis sensus acuatur in animo, neque sinamus unquam, excellens Bonum, quod obtineri posse cognoscimus, ab animo effugere, quin sui desiderium relinquat, donec sanâ reflexione ejus realitatis, & pretii excitemus in nobis appetitus in ratione excellentiæ, quâ pollet, ita ut illius privatio, aut timor amittendi, dum idem possidemus, inquietitudinem valeat ingerere. Neque vero, addit ipse, dicat aliquis, se non posse adfectibus dominar, aut impedire, quominus ad illorum objecta trahatur: Si enim id effici potest coram Principe Viro, & aliis quoque inferioris subsellii ministris, illud equidem, si velit, quisque obtinebit, dum solus est, aut unicam Dei respiciat Omnipræsentiam (b). III.

(a) *De int. hum. L. 2. c. 21. §. 53.*

(b) *Cum non posset inficiari Voltairius, quod aliquando contra passiones eligat homo, instabat Ph. Ign. doute 13. = Nous pouvons reprimer nos pas-*

LII. Fateor vero aliquoties animi passionem esse tam validam, ut omnimode usum rationis tollat, & advertentiam, quibus ipsa quoque indifferentia auferatur, præsertim vero, si de habitibus sermo fiat: actuum enim repetitione usus in naturam convertitur, & vel idea in animo fixa, vel satis exercitata cerebri motio, atque spirituum vim penè habent inseparabilem. Certum tamen est, sive initio, sive passionis ejusdem progressu coactionem tam validam expertos homines non fuisse; unde animorum indifferentia ostenditur, cum ex tali passione agentes posuerint liberrimè caussam, quæ modo illos pené invicté determinat. Sed insuper hominem vino deditum, fruentem prosperâ valetudine, animo curis vacuo, & sitientem supponamus cum Clerico (a) ingredi locum, ubi combibones inveniat unà potantes: vix dubitare possumus, quin ille interdicto nullo impeditus, & excitatus a sociis, sit quoque trahendus ad vinum: attamen quis neget, illum ipsum, si pignore contendisset cum aliquo, se non fore eo loco bibiturum, quis, inquam, neget, posse habitui, & amicorum incitamento, ea saltem vice, quocumque modo id eveniat, obsistere? Hinc neminem ad hasce voluptates ineluctabiliter ferri colligimus: & hinc pœna, vel prœmio etiam homines ex habitu agentes digni sunt, immò potiori quodam jure, quam si agerent sine habitu. Nam unice, quæ per metum aguntur mixta sunt ex voluntario simul, & involuntario, quia ibi eligitur aliquid, uti perpetua in vinculis detentio, sed ad aliud repellendum, puta mortem, quæ timebatur, & manet repugnantia quædam ad ea, quæ aguntur. Cœteræ vero passiones augent voluntatis intentionem, atque conatum; unde apud Ethicos quoscumque cum D. Thoma (b) vulgatum est = *Quantò aliquis majori libidine, vel concupiscentiâ peccat, tanto magis peccat* = Quibus positis si contendat Voltairius apud Nonnotte loco citato, homines non esse indifferentes, alias enim proprios habitus, passionesque mutarent, illud arguit, quod nos perpetuò falsum esse experimur, & ostendimus; quodque etiamsi adversario concederetur, nihil unquam pro ipso concluderet.

LIII. At Leibnitzius aliam viam ingressus est, quâ animos ad unum ex caussâ internâ determinatos, licet indirectè, videatur asserere. Excogitatâ enim illâ, Poësis libidine potius, quam veritatis amore, harmoniâ præstabilitâ, & serie idearum in anima, quarum una penderet ab altera necessariò (c), statuit perceptiones sibi succedere eo ad invicem ligamine, & connexione, ut præcedens contineat rationem sufficientem, atque

passions: mais alors nous ne sommes pas plus libres en reprimant nos desirs, qu'en nous laissant entrainer a nos penchans, car dans l'un, & dans l'autre cas nous suivons irresistiblement nôtre derniere idée. At hisce in Superioribus num. 38. &c. fusè satisfecimus.

(a) *Ontol. c. 13.* (b) *1. 2. q. 77. a. 6.*

(c) *Theod. T. 2. §. 59 & seq. & alibi*

atque caussam subsequentis: hanc vero idearum seriem traditam a Deo fuisse, qui utpote Sapientissimus, cupiens ex materia simul, atque Spiritu unum componere, talem animæ dedit seriem cogitationum, & corpori motuum, ut invicem sibi correspondenrent. Sic animus ex idearum suarum serie, absque ulla unquam electione, concipit ambulandi desiderium, & corpus nullo ejus imperio, occasione, vel influxu, sequens ordinem suorum motuum, eodem temporis momento prædeterminatum est, ut ambulet: ita ut si Cœsaris anima migraret in corpus Nervæ, monstrum efficeret, quia series motionum corporearum hujus non responderet idearum seriei, quam illius habet anima. Quod equidem systema quamvis ingeniosum sit, minus tamen est veritati conforme, & omnem aufert ab anima indifferentiam. Hic enim determinaretur illa necessario ab antecedenti perceptione, cumque hujusmodi idearum seriem a Deo haberemus, ut non possem, unâ relictâ, de alia, aut opposita, aut disparata cogitare, a Deo ipso humana indifferentia tolleretur. Scio, VVolphium respondere exemplo Divini decreti, quod licet anteriùs admittendum sit in systemate quolibet, tamen ullam non imponit necessitatem, ut inferius ostendam. Sed in harmoniâ Leibnitzia fatendum est, aliquid novum addi, quod non possit cum actionum indifferentia conciliari. Si enim suis principiis stare velit Leibnitzius, idea patrandi homicidii nullo pacto mihi erit indifferens, cum ab animæ voluntate non pendeat, sed unicè ab ideâ antecedenti, & ei vinculo tam arcto conjungatur, ut mutari nequeat in ideã Charitatis, & veniæ, si hæc habitæ prius perceptioni non correspondeat. Idea vero antecedens eodem pacto non fuit indifferens, cum à priori determinate penderet, donec ad ultimam deveniamus, quæ etiam nonnisi necessaria esse potuit primo Creationis instanti. Namque, si fuit innata ut ipse contendit, tradita est a Deo, quin animæ haberet potentiam ad alias; si vero producta per sensus, necessariò quoq; producta est, quia nullum eo tempore mens habuit rationis usum, in qua fundatur indifferentia (*a*).

LIV. Longâ vero demonstratione non indigemus ad hoc systema refutandum, ut propositæ disquisitionis capita ex omni parte absolvantur. Qua enim ratione probari possunt hujusmodi series idearum, & motuum ad invicem independentes, cum ipsi sentiamus verum, & reale commercium animam inter, atque corpus, & distinquamus brachii motum a systole cordis, eo quod hæc a propria vi corporis, ille vero ab animæ imperio proficiscatur? Numquamne ideæ tales in nobis excitantur, quæ nullam in præcedenti perceptione, sed unicè in motu corporis sufficientem habeant rationem? Cogitanti ex:caussa mihi de morte parentis, si Mimus ante oculos obversetur, levamen aliquod, immò & lætitiam persentit animus: at gaudium cum idea tristi, in qua defixus eram, non conjungitur, nec ab illa dependet, ita ut vel nulla hujusce mutationis erit ratio, vel integra

(a) *Num.* 49.

gta consistet in motu corporis, a cujus sensibus Mimi habetur repraesentatio. Praeterea si Leibnitzii sententiam admittamus, non video, cui unquam usui sit anima corpori, aut corpus animae; quoniam ille sentit (a) corpora eodem agere modo, ac si nullae intus essent animae, & animas ita percipere, ac si corpora nulla darentur. Dum ideas alteri communicamus, vox ista esset inutilis, quippe ad audientis corpus tantummodo progrederetur, & sive ego loquerer, si tacerem, eo temporis momento alter ob propriam idearum seriem de re illa cogitaret. Hoc autem videri debet Philosopho absurdum, si frustraneam animae, corporisque unionem esse sentiat, aut societatis necessitatem ad ideas invicem communicandas inficietur. Habet fortasse anima continuatam quamdam seriem idearum, si velimus ei perennem tribuere perceptionem, quod etiam non est adhuc evidenti demonstratione ostensum (b): habet ista series ligamen aliquod, quo subsequens perceptio pendeat à priori, ne dicamus, in animo sapientis aequè ac in amenti ideas remotissimas, & inter se disparatas una conjungi: Sed hoc ligamen tale non est, ut ope motionis corporeae, vel nutu quoque voluntatis dissolvi non possit. Hujusmodi enim duplici modo saepius animae obversatur idea, quae vinculum cum antecedente non habeat, ut frequenter experimur, novis objectis ante oculos occurrentibus, vel in eorum quoque absentiâ, post diuturnam praesertim defatigationem in studiis, revolvi animum ex proprio arbitrio ad laetas ideas rerum jocosarum, atque delectabilium, ut quodammodo relaxetur. Quo in casu praecedens idea sui sequentem non producet: non enim sic caussa intelligi debet ut quod cuique antecedat, id & caussa sit, sed quod cuique efficienter antecedat: nec quod in campum descenderim, id fuisse caussae, cur pila luderem, nec Hecubam caussam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum genuerit. Unde neque Archimedes, quod festivè ajebat Voltairius (c) aequalem vim patitur, ut in cubiculo remaneat, si clausis ibi retineatur, ac si mechanico

G nico

(a) Princip. Philosoph. §. 84.

(b) *Plures demonstrare conati sunt, humanas animas perenniter cogitare, Cartesius praesertim, Leibnitzius, & inter caeteros nostrâ aetate Genuensius contra Peripateticos, Lokium, aliosque: Sed fatendum est, adhuc latere hujusce quaestionis resolutionem, cum ex utrâque parte argumenta suos habeant gradus probabilitatis, invictè vero nil ostendant. Illud enim a VVolphianis quaeri potest, cur unquam, ut vivere dicantur substantiae simplices, requiratur actualis operatio, non vero sufficiat perennis agendi potentia? Immò & quâ de caussâ vitam hujusmodi animarum in cogitatione, non autem in aliâ nobis fortasse incognitâ proprietate, statui necesse sit? Praeterea cum non recorder idearum, de quibus in profundo somno, aut deliquio me cogitasse vult Leibnitzius, cur haec potius illarum deficientia dicenda non erit, sed oblivio? Haec expediat, & erit mihi magnus Apollo.*

(c) *Ph. Ign. doute 13.*

nico problemati dissolvendo attentè vacet: quamvis enim series Mathematicarum perceptionum inde exeundi ullam ideam non objiciat, est tamen in animo facultas, est in aliorum objectorum motionibus perfecta potentia, quâ series ipsa interrumpatur. *Nulla itaque in animi interna naturâ necessitas electionibus aufert indifferentiam.*

LV. Reliquum modo est, ut examinemus, quod tertio loco propositum fuerat (a) an repetenda sit ab externo hæc animæ determinatio ad unum, sive *a vi Corporis*, cui illa conjungitur, sive tandem ab aliquâ Universali caussa necessitante, quæ *Fatum* dicta est, quoniam objecta, quæ amplectimur, vel adversamur, coactionem nullam inferunt, uti pluribus ostensum est, ubi ordo disputationis postulaverat. Hobesius itaque in opusculo *de Libertate*, *&* *Necessitate*, item Antonius Collinius in suo *Examine Philosophico* ponunt corpus caussare propensiones, & voluntates, ejusque: temperiem ab aëre, cibis, & seminis naturâ productam influere in studia pariter, atque mores, sicuti in cœteras intelligentiæ qualitates, ita ut alios locos videntes esse salubres, alios pestilentes, in aliis esse pituitosos, & quasi redundantes, in aliis exsiccatos, atque aridos, Athenis tenue Cœlum, & ideò acutiores æstimatos fuisse Atticos, crassum Thebis, itaque pingues Thebanos, & valentes, concluserint in naturis hominum dissimilitudines esse, alios libidinosos, alios iracundos, aut crudeles, aut superbos, alios vero talibus vitiis abhorrere, eoquòd diversa corporis constitutio cogat animam ad actus luxuriæ, si fuerint ignea, vel temperantiæ, si frigescat, ad timorem, & magnanimitatem, ad Religionem, vel Atheismum. At vero, concedimus libentissime, acuti, hebetésne, valentes, imbecilline simul, non esse totum in nobis, item quod alios dulcia, alios sub amara delectent, a corporis constitutione pendere: non sequitur tamen, ut etiam rem agere aliquam, amplecti bona, vel adversari, ab illo sit constitutum. Cum cœteris enim concaussis, de quibus suprà dictum est, corpus concurrit ad movendam voluntatem, sed purè uti motivum, non uti causa necessariò determinans. Plures equidem passiones a corpore pendent, & ab eo vim habent: Sed inferior appetitus subjicitur judicio rationis; unde & naturales animi inclinationes ex physionomiâ, & adfectus cognosci, atque prædici fortasse poterunt, non vero quid anima agat, quid respuat, obsecundetne cupiditatibus, an dominetur. Ex naturalibus enim caussis vitia nasci possunt, extirpari autem, & funditùs tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus caussis; sed in volũtate, studio, disciplinâ. Quamobrẽ cum multa in conventu vitia collegisset in Socratem Zopyrus Physiognomon, qui se profitebatur hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere, derisus est ab Alcibiade, & a cœteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscebant; ab ipso autem Socrate sublevatus

est,

(a) *Num.* 20.

est, cum illa sibi viria inesse, sed ratione a se dejecta dicere. Revera supposito admirabili commercio inter animam, & corpus, illud sequitur, positis cerebri motibus correspondere in anima ideas rerum, a quibus motus illi excitantur, & positis animæ perceptionibus similes effici motiones in cerebro: sed inde non deducitur, quod præter ideas etiam voluntates ab animâ juxta corporum motus suscipiantur. Vehemens enim spirituum animalium impressio ad cōcupiti objecti præsentiam excitata delectabilem ipsius ideam animo repræsentat: sed in nobis positum est in ea contemplandâ immorari, vel non, item illam conferre cum ideis legum sive humanarum, sive Divinarum, quas habemus, cum pœnis, prœmiisque sequuturis, ut cerebri motus compescamus, vel iisdem assentiamur. Præterea omnes conveniunt, in dementibus, ebriis, & somniantibus animam necessariò trahi ab inordinato motu spirituū animalium, & cerebri, sive ab ægrotanti corporis constitutione: Cur igitur istorum actiones distinguimus ab aliorum voluntatibus, si perpetuò animus in utrisque a corpore necessitante determinetur? Sicuti dementium, somniantium, ebriorumque actiones, nonnisi in caussâ, prœmio, vel pœnâ dignas esse censemus, ita aliorum voluntates, nullo casu reprehendendæ forent, neque precibus, consiliis, prœmiisque adjuvandæ, quæ videlicet in adversariorum sententiâ a Spiritibus, & humoribus sive regulariter, sive irregulariter agentibus pari modo cogerentur.

LVI. Adductam responsionem contra nos retorquet Novus Auctor Examinis supra Religionem (a), & eò quod Anima in amentibus, ebriis, & somniantibus non est indifferens, numquam cerebri motibus neque in vigiliâ, neque in optimâ valetudine voluntatem obsistere posse concludit. Advertit enim in amentibus nil aliud esse, nisi majorem vim spirituum animalium irregulariter agentium. Jam vero, inquit, si Animæ actio mechanicis legibus non regeretur, materiales cerebri impressiones quomodolibet auctæ eam non raperent necessariò. Sic ex: gr: si supponamus in alterutro libræ brachio vim aliquam a se a corporum gravitate diversā, quâ lanx deprimatur, non solum hæc non elevabitur pondere duarum librarum, sed nec etiam mille libris, quia per hypotesim mechanicè non agit deprimens illa substantia. Ita a pari, si minimus cerebri motus non pollet animam trahere necessariò, eo quòd volitio Physicæ legibus subjecta non est, nec etiam auctâ impressionum earumdem vi in dementibus, & ebriis tolleretur agendi indifferentia. In somniantibus ex adverso major deberet esse Libertas, si ulla daretur, quam in vigiliâ, ut ipse deducit. Nam quiescente, & relaxato corpore minus nervi tenduntur, minorique Spirituum copiâ cerebrum impletur, unde & minor vis fit contra Animam; & ideò, si non valeāus in somnio obsistere minori corporis motui, quomodo obsistemus ei, qui major est in vigiliâ ob sensationes vividiores? At eo pa-

(a) *P. 2. de Libert. §. 2.*

cto procedit ista difficultas de vi spirituum animalium supra mentem,& de illius resistentiâ,ac si ageretur de duabus substantiis mechanicè agentibus, quarum major superat minorem, quod omnino falsum est. Laborat itaque argumentatio in falso supposito, & in petitione principii. Equidem vividior, & perturbatus cerebri motus in amentibus, & ebriis, item debilior spirituum impressio in somniantibus nullum gerunt Physicum, materialemque conflictum cum Animæ indifferentia, neque sunt veræ caussæ immediatæ, cur illa auferatur. Sed quoniam Libertas in Ratione præcipuum habet fundamentum,neque suorum actuum dominus esse potest,qui omni deliberatione orbatur, consilio, reflexione, ideò rationis ejusdem turbatio illa est, quæ in hisce casibus non relinquit electionis indifferentiam. In hominum curis perceptiones sæpe sæpius tam vividè depinguntur,ut illi credant, se objecta licet absentia propriis oculis intueri,cumque in se revertuntur, difficillimè errorem recognoscant, quod est dementiæ initium: amentes vero remanent, si fibræ cerebri tam violenter commotæ fuerint,ut in pristinum statum restitui non valeant. Validus eo in casu spirituũ animaliũ sanguinisque motus id efficit,ut eadẽ,& unica idea sẽper animæ repræsentetur,atque ideo plurimæ discrepantes, alienæque perceptiones rerum, quas interim videt, vel audit, cum eâ vinciantur, & unitæ remaneant, quemadmodum accuratissimè Lokius demonstravit (a). Hinc objecta examinari non possunt,neque cum aliis conferri; hinc tollitur animæ potentia pro libitu alias ideas revocandi, ad quas excitandas ejus imperio prompti non adsunt Spiritus animales ob actualem cerebri constitutionem; hinc denique, ut uno verbo omnia concludam, tollitur judicium indifferens, & quæcumque deliberatio. Similiter in somniis, licet debilior sit cerebri motus ob lassitudinem, nervorumque defatigationem, tamen exiguus ille spirituum tumultus,qui vel ab ultima vigiliæ ideâ,ut placet VVolphio, vel a cibo, & potu, aliisque caussis ortus est, objicit determinatas quasdam imagines. Anima vero dum eas contemplatur, quodammodo passive se gerit, deficiente scilicet facultate alias sibi ideas reproducendi, quoniam eo tempore Spiritus animales ad certas cerebri partes ex ejus arbitrio non excurrunt.Hinc absurdissima fiunt insõnia, rerumque adeò disparatarum, & interim animus errorem non recognoscit. Non item verò in vigilia, non item in optimâ valetudine. Si scilicet demonstrassent adversarii, a quâcumque spirituum impressione, atque motu perpetuò rationem turbari; ritè concluderent semper animam a cerebro cogi. At vero cum experientia quotidianâ sentiamus objecti alicujus imagine præsente posse nos aliam sive contrariam,sive disparatam excitare,item & utramque conferre, in unum cum adsit deliberatio, & usus rationis, aderit quoque eligendi indifferentia. Sic cytharœdus,licet eximius, si pulset instrumentum, in quo aliæ chordæ parum tensæ sint, & ad motum difficiles,

(a) *De Int. hum. L. 2. c. 11. §. 13.*

ficiles, aliæ nimis citò oscillent, & plus æquò perdurent in tono, harmoniam ullam non efficiet: sed inde non deducetur, in aliis instrumentis rite paratis idem omninò præstari.

LVII. At instat, vigiliæ deliberationem non esse indicium Libertatis, eoquòd pluries etiam in somnio deliberamus, veluti si quisquam somniaret, se dubium esse, utrum hostem amplecteretur, vel interficeret. Velim autem animadvertat adversarius, deliberationem, quæ in somniis habetur, esse apparentem, & unice a spiritibus animalibus excitatam, non vero realem, & imperatam a mente. Nomine enim veræ deliberationis, in qua Animæ Libertas constituitur, intelligimus actionem, qua mens ex proprio arbitrio excitat sibi varias ideas, easque considerat, corrigit, confert, ut ex pluribus unam eligat. Quoniam itaque in somniis diversæ illæ perceptiones de inimico interficiendo, vel non, ab animæ voluntate non excitantur, sed mechanice a spiritibus animalibus; immò quoniam animus, sive ibi judicet, sive ratiocinetur, passive se gerit absque potentia ad oppositum, idcircò nulla gaudebit proprie dictâ deliberatione. Contrarium vero experimur in vigilia, in quâ si deliberemus, aut eligamus, imperat anima Spiritibus Animalibus, & non obtemperat, ad eamque partem inducitur, quæ ex momento internæ rationis, non ex Physico cerebri motu præponderet.

LVIII. Hic vero quærit citatus Auctor, quomodo anima possit ex arbitrio movere Spiritus animales ad virtutem, atque vitium, eorumque impressiones moderari, cum posteà nequeat illos regere in rebus ad intelligentiam pertinentibus, & in cognitionibus theoreticis? Equidem si natura cerebri, atque Spirituum ad stupiditatem inclinet, quæcumque animæ potestas, & imperium me non efficient acutum; atque ideo si motus spirituum eorumdem ad vitium virtutemque ducat, nulla erit animæ facultas immutandi aliquid, ut oppositum amplexetur. Sed quot unquam in historiis leguntur etiam studio, atque labore cerebri stupiditatem, tarditatemque vicisse? Demosthenes exilem vocem, & linguam balbutientem exercitio, & disciplina emendavit, cujus frequentissima sunt etiam exempla in iis, qui cantu, saltationibus, & instrumentorum pulsatione exercentur, in quibus organorum defectus, voluntate exercitium imperante, corriguntur. Idem quoque observatum est in Xenocrate Chalcedonio, qui adeò hebes erat ingenio, ut Plato eum cum Aristotele comparans, diceret = *Cui equo, quem asinum jungo! alter enim fræno, alter calcaribus eget* = & tamen summa Philosophiæ laude per XXV. annos Platonicæ Scholæ deinde præfuit. Quod equidem, licet majori labore indigeat, atq; conatu, neque frequenter obtineatur, nihilominus non prohibet, quin anima in moralibus actibus facultatem suam perpetuò non exerceat. Ut enim rectè, & accuratè fiant intellectuales cognitiones, spiritus animales vel naturâ, vel arte opus est, ut celerrimi sint, & subtilissimi, quod non semper est in animæ potestate: Dum vero bonum amplectimur; &

malum adversatur, moventur quoque spiritus ad impressionem in cerebro efficiendam, sed neque subtilissimi reddendi sunt, neque celerrimi, unde nullum habetur in hisce actibus a corpore impedimentum. Hinc ut brevibus verbis omnia concludamus, vis impressionum, quæ fiunt ab objectis, pendet ab actione externa, a temperamento corporis, ab animi constitutione: nullum vero ex iis mentem determinat necessario.

LIX. Atvero si ad caussas quasdam Universales attendamus, quæ in nobis electiones caussare, & iis ideò necessitatem inducere valeant, duæ tantummodo, *Casus* scilicet, & *Fortuna* vel *Fatum* quodlibet, poterunt excogitari. Primò itaque Plato Fortunam, atque Casum esse putavit caussam eorum, quæ consilio carent, caussam ex eventu, quæ illa fortuitò consequatur, ac mutabilem consilii secundum scopum habitum: Epicurus vero caussam personis, temporibus, locisque minime constantem, aut convenientem; Anaxagoras autem, & Stoici esse dixerunt caussam humanæ ratiocinationi occultam, & nonnulla quidem juxta Necessitatē fieri, alia vero juxta Fatum, alia juxta Electionem, alia juxta Fortunā, alia denique juxta Casum (*a*). Id itaque unum ex variis eorum sententiis colligi potest, Casui tribuēda esse, si quæ fiāt absque Præscientiâ, & Providētiâ, absque ordine, fine, & dependentiâ a certis quibusdam caussis, & ad ea producenda determinatis. Hinc si in serie Caussarum, & Effectuum Finis, & Providentia deficeret, sed interim adesset Ordo, & caussarum determinatio, *Fatum*, & non *Casus* diceretur, atque inde ipse etiam Epicurus unicè athomorum declinationem Casui tribuebat; sed cum in Universo negaverit Providentiam, & rerum omnium Finem, non vero Caussarum ordinem, atque seriem, Fato quidem, & non Casui tribuisse cœtera censendus est. Quamobrem ut ad rem nostram deveniamus, cum ipsæ hominum actiones ab animo, non vero a materiâ, immo & summo consilio, atque non sine ratione fiant, uti usque adhuc ostendimus, a temerario athomorum concursu non producentur. Præsertim vero quòd Casus nullus est in Universo, unde nil sibi timere poterit humana in agendo indifferētia. Obsolevit jam enim apud Philosophos hæc Casualistarum opinio, quæ penè innumerabilibus rationibus refutari potest, erutis tum a Cicerone (*b*) tum ab aliis Doctoribus non modo Catholicis, sed iis etiam, quibus *fortium*, ut inquiunt, *spirituum* tribuitur laus a seculo, uti videre est apud Burnetum in collectione omnium Angliæ Professorum Boylleanâ Cathedrâ de Dei existentia disputantium; quoniam prodigio simile est, ajebat Lactantius (*c*) homines operibus mundi attendentes agnoscere noluisse, quis esset artifex (*d*). LX.

(a) *Vide Plut. de Pl. Ph. L. 1. Eduardo Corsino interprete.*

(b) *De nat. Deor. l. 2.* (c) *In Div. Instit. de Opificio Dei.*

(d) *Unicam, quæ pro casus existentiâ occurrere posset, difficultatem hic subjicimus ex D. Thomæ Doctrinis = Contingit quandoque (ait 1. p. q. 116.*

LX. At descendamus ad Fatum. Ex principio rationis sufficientis, & ex ordine rerum Universi certũ est effici connexionẽ quamdam caussarum, & effectuum, quarum una pendet ex aliâ, absque eo quod ullâ in parte concatenatio ipsa abrumpatur. Placuit nonnullis hujusmodi connexionem appellare *Fatum*, in quorum sentẽtiâ omnia Fato fieri non denegamus, dummodo seriem illam caussarũ a Dei Voluntate Liberâ dependentem admittant, ut Fatum sit ipsa Dei Providentia, quæ suis quæque ordinibus connectit, absque eo quod auferat rerum contingentiam, ullamque mentibus necessitatem inducat. Non omnes vero Philosophi, sive veteres audias, sive recentiores, idem nobiscum de Fato intelligunt; sed illud invariabili quâdam connexione disponere cuncta pronunciant, ut ejus Legibus Creaturæ omnes irrationales, & animæ humanæ, & ipse Deus absoluta necessitate subdantur. Celebre est Thaletis effatum, quod a Laërtio (a) profertur = *Antiquissimum omnium eorum, quæ sunt, Deus: ingenitus enim: Pulcherrimum Mundus, a Deo enim factus est: Maximum Locus, capit enim omnia: Velocissimum Mens, nam per Universa discurrit: FORTISSIMUM NECESSITAS, CUNCTA ENIM SUPERAT: Sapientissimum Tempus, invenit namque omnia* = Alii similiter Fatum immobilem, insuperabilem, violentamque caussam esse dixerunt. Cudwortus vero, qui prolixius de hisce loquitur, Philosophorum sententias ad tria Capita, Fatum nempe Democriticum, Spinozisticum, Stoicumque reducit, quibus nos addere possumus Platonicum, & cum Leibnitzio Christianum, ita ut si ab horum nullo Animæ necessitentur in eligendo, quid amplius contendant, non habent adversarii. Arduum quippe argumentum, nec agendum fortasse a nobis post innumeros omnis ævi Philosophos, vulgatum ne præsertim hoc tempore Monigliæ Opus contra Fatalistas, qui potissimum nil cæteris de novo differendum reliquerunt, nisi instituti nostri ratio id postularet, ut ad integram propositi thematis disquisitionem nonnulla hic etiam ex iisdem auctoribus derivaremus.

LXI. Democritus itaque cum posuerit athomos æterno, & mechanico motu per inane infinitum agitatas necessariis quibusdam legibus omnia conflasse, statuit seriem illam effectuum, atque caussarum, quibus regitur

---

q. 116. a. 1., quod aliquid ad inferiores caussas relatum est fortuitum, vel casuale, quod tamen relatum ad caussam aliquam superiorem invenitur esse per se intentum. Sicut si duo servi alicujus Domini mittantur ab eo ad eundem locum, uno de altero ignorante, concursus duorum servorum, si ad ipsos servos referatur, casualis est, quia accidit præter utriusque intentionem: si autem referatur ad Dominum, qui hoc præordinavit, non est casuale, sed per se intentum. Fuerunt igitur aliqui, qui hujusmodi Casualia & fortuita, quæ in his inferioribus accidunt, in nullam superiorem caussam reducere voluerunt, & hi Providentiam negarunt.

(a) *Lib. I.*

gitur hæc Universitas, promanare ex naturâ ipsius materiæ, ita ut negaverit ullum esse Primum, & Ingenitum Materiæ Principium, & Providentiam, aut Fatum nil aliud esse dixerit, nisi illas Mechanicæ Leges, quibus corpora moventur (a). Hinc nil est in Universo contingens, nil in agendo indifferens, sed quæ eveniunt, sunt absolutè necessaria. Sed quis tot absurda conciliet? Falsò enim materiæ æternitas adscribitur, falsò independentia, falsò actualitas absolute necessaria. Nam omnia in Universo generationibus, & corruptionibus mutantur, & mutabilitas contingentiam accusat, contingentia vero non in se ipsis, sed in alio rationem habent sufficientem existendi: de quibus, si lubet, vide Clarkium (b), Jaquelodium, VVotvardum, Cudwortum, Joannem Clericum in Bibliotheca selecta (c) atque Leibnitzium (d). Insuper series rerum diversarum, & divisibilium infinita est impossibilis; neque concedi potest, motum ullum, vel quoque tendentiam ad illum essentialem esse materiæ. Prætermisso enim, quòd concipiamus existere posse corpora sine motu, unice animadverto, vel hujusmodi motum materiæ essentialem, quem rursus suscitavit Tolandus, ad unam, vel ad omnes tendere directiones: non ad unam, quia corpora versus quamcumque partem moveri possunt, prout a causâ externâ determinantur: non ad omnes, aliàs in æternum corpora quiescerent, cum ex pluribus directionibus oppositis, & æqualibus, ad quas essentia tendit, nullus motus exurgat. Nisi itaque externam caussam, sive Primum Materiæ Movens admittamus contra Democritum, impossibilis erit corporearum motionum explicatio. Quod quidem argumentum a D. Thoma (e) acutissimé pertractatum si attentè considerasset Maupertuisius non effutiisset (f) Democriti, Epicuri, Tolandique sententiam de motu materiæ ab æterno essentiali dubiam tantummodo, non vero falsam posse haberi. Sed vide Cardinalem de Polignac in suo Antilucretio (g). Unde nec Animæ volitio in mechanico athomorum motu consistit, uti probavimus (h), neque ab illo tanquam a caussâ Universali determinatur.

LXII. Jam vero Benedictus Spinoza ratus, æternum aliquod hujusce Universitatis principium independens, sed a quo materia, & cœtera per essentialem emanationem dependerent, esse admittendum, eandem quoque induxit absolutam necessitatem tum in natura substantiarum, tum in hominum actionibus. Unicam tantummodo dari substantiam contendebat (i) quam posuit esse Deum, infinitis præditam attributis, cogitatione præsertim, atque extensione: cœtera vero finita Entia veras non esse substantias a Deo diversas, sed simplices attributorum illius modificationes, ita

(a) *Vide Laërt. L. 9., & Stobæum Eclog. Phys. c. 8.*
(b) *Ex. de Dieu t. 1. Prop. 3.* (c) *Volum. 7.* (d) *Theod. t. 2. §. 7.*
(e) *1. p. q. 2. a. 3. & c. Gent. l. 1.*
(f) *Essai de Cosmol. Avant Propos.*
(g) *Lib. 4.* (h) *Num. 15.* (i) *Eth. P. 1. & 2.*

ita ut sicuti araneæ tela, vel filius quilcumque ab essentiâ parentis oritur, ita orirentur animæ ab infinita Dei cogitatione, corpora vero ab ejus extensione pariter infinita. Cum autem contingentes non sint neque Dei Cogitatio, neque Extensio, idcircò & ipsarum variæ modificationes, scilicet Universi substantiæ, & illarum actiones non erunt contingentes, neque immunes a necessitate, & ipse Mundus erit æternus, essentialiter cum Deo conjunctus, & pars Divinæ substantiæ. Quod quidem systema ab antiquis Pantheistis inventum, & si Bælio (a), Valchio (b), atque Budeo de Spinozismo ante Spinozam credamus, ab Aristotele adumbratum, item defensum a Vincentio Victore, quem seculo Ecclesiæ quinto Catholicæ Fidei restituit Augustinus (c), tandem Geometricâ methodo est a Spinoza pertractatum, ne suis, licet Sophismaticis, demonstrationibus carere videretur. At una, & simplex substantia, qualis est Deus, numquam potuit aliam producere per emanationem essentialem. Nova enim substantia vel ex nihilo oriri debet, vel disjungi ab aliâ compositâ, tanquam pars à suo toto. Mundus autem pluribus obnoxius mutationibus, quæ perpetuò ante oculos objiciuntur, non potest esse Deus idem Necessarius, Immutabilis, Individuus; quod est a Clarkio (d), & à Bælio (e) demonstratum, ut eos tantummodo nominẽ, quos unicè, & verè Methaphysicos credunt adversarii. Hic autem prætereo, cogitationem dividi non posse, quia simplex requirit subjectum, ut ostendunt Psychologi, nec extensionem suâ naturâ esse posse infinitam, eo quod saltem illa, quæ corpori convenit, est divisibilis, & omne divisibile necessariò finitum. Sed hoc tantum addo, singula Dei opera in Universo diversa esse, limitata, mutabilia, unde quoque contingentia, scilicet absque ullâ necessitate producta. Ubi enim caussa necessariò agit, determinatur ad unum, neque diversas naturas efficit, sed immutabilia, & necessaria producit, & agit totâ vi suâ; cumque ideò Dei Potentia sit infinita, & infinitis quoque modis participabilis ejus Bo-

(a) *Dict. artic. Arist.* (b) *De Atheismo Arist.*
(c) *2. Retract. c. 56.* (d) *De l'Ex. de Dieu t. 1. Prop. 3.*
(e) *Lege Voltairium Ph. Ign. doute 24., ubi ait: Bayle voit, combien il est insensé de faire Dieu astre, & citrouille, pensée, & fumier, battant, & battu. Il voit, que cette fable est fort au dessous de celle de Prothée.... Il est impertinent, que l'excrement d'un animal soit une modalité, ou une partie de l'Etre Supréme... Spinosa se sert toujours du mot Dieu.... mais au fond ne reconnait point de Dieu .. Il parait Athée dans toute la force de ce terme... il est, parcequ'il ne reconnait nulle Providence. parcequ'il n'admet, que l'Eternité, l'Immensité, & la Necessité des choses: il est comme Straton, comme Diagoras...Bayle à tres bien demêlé les Sophismes de Spinoza dans les detours. & dans les obscurités du stile pretendû geometrique, & reellement tres confus de ce Maitre. Je vous renvoye a lui: des Philosophes ne doivent pas recuser Bayle =*

nitas, si necessario egisset, totum Universum infinitum, & speciatim Creatura quævis foret infinita. Quæ quidem falsa sunt, & Fatum illud Spinozisticum evertunt, ne officiat humanæ indifferentiæ.

LXIII. At facile non est, quid Stoici senserint de hâc effectuum, caussarumque connexione, quibus Universa machina efformatur, divinare. Lipsius equidem Stoicos a Catholicis non dissentire scripsit (a), atque Fatum eis fuisse Legem Æternam, cujus auctor Deus est, qui illam semel scripsit, & semper sequitur, ut Seneca inquiebat (b). Omnia enim servant cursum suum immutabilem, & quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat; sic ordinem rerum Fati æterna series rotat, cujus hæc prima Lex: *Stare decreto*. In quâ potissimum sententiâ omnia fierent necessariò, sed necessitate hypotheticâ, non absolutâ, quæ contingentiam non tollit, neque adversatur indifferentiæ actionum humanarum, ut ostendam, ubi agendum erit de Fato Catholico. Deus enim in hoc systemate decretum non mutaret, sed illud fuisset initio Liberum, & in caussis necessariis necessitatem, in indifferentibus vero indifferentiam reliquisset. At Christianus Thomasius de Exustione Mundi Stoicâ (c) itemque Budæus in Epitome historiæ Philosophicæ (d), atque in Libro de Atheismo, & superstitione omnia ex Divina Voluntate, sed necessario, non Libere pendentia fecisse Stoicos autumant, ita ut illorum Fatum oleat Spinozismum (e). Quamobrem in horum sententiâ rursus Stoici admisissent in rebus absolutam necessitatem. Hinc si Fatum hujusmodi constituatur, uti Lex Universi ipso Deo Superior, movebitur materia Legibus quibusdam independenter a Creatore, quod in Fato Democritico confutavimus. Si vero Spinozæ consentiat, ulteriori refutatione non indigemus. Satis enim ostensum est cōtingentes esse hujus mundi substantias, ideoque nullâ necessitate a Creatoris voluntate productas. Quo in loco, ut aliquid de Divina Libertate dicamus, quod supra polliciti fuimus, certum est, Ens suâ naturâ necessarium, quale potissimum esse debet Prima rerum omnium Caussa ex Metaphysicis, absolutam habere necessitatem in iis, quæ ad proprium spectant individuum; unde sui ipsius Amor, Propria Beatitudo, & quæ *ad intra*, uti inquiunt, fieri debent, necessariò absolventur. Quæ vero ad ejus naturam non referuntur, ut Creatio rerum, & Conservatio, quæque sunt

ut

(a) *Phys. Stoic. L. 1. diss. 2.* (b) *Quæst. Nat. L. 2. c. 53.*
(c) *Diss. 13.* (d) *C. 4.*
(e) *Revera si eorum sententias ex eodem Budæo, Senecâ q. Nat. L. 2. c. 35., & 38., & de Prov. c. 5.), atque Tullio de Fato consideremus, posuerunt hujus Mundi Leges a Dei intelligentiâ, quæ Immutabilis est, & Necessaria, dimanare, unde & eis Deum esse subjectum, totumque hoc, quo continemur, unum esse, scilicet Deum, cujus socii sumus, & membra, quæ absolutam necessitatem in Universi rebus inducunt.*

ut ajunt, *ad extra*, defectum in hoc Ente Perfectissimo arguerent, nisi summâ indifferentiâ efficerentur. Ad hæc enim aut adigeretur a suâ natura Deus, aut ab alia caussa exteriori, aut ab eorum objectiva realitate. Si primum, ad Dei naturam pertinerent, quod est cōtra hypothesim, quodque Creatoris dignitatem cum Pantheistis dejiceret ad vilitatem Creaturarū: si alterum, non esset ipse Deus caussa Superior; si denique tertium, necessariò raperetur Ens infinitum a finitis objectis, scilicet ab iis, quæ nonnisi finitam vim habere possunt; & Bonitas Creaturarum esset, eis propria, non vero proveniret a Creatore, quod esse maximum in Metaphysica absurdum facile ostenderem, si de hisçe foret instituta tractatio (*a*). Reve-

(*a*) *Ex hoc tertio capite realitatis objectivæ Universi quæ nullam poterit in Deo necessitatem inducere, negamus quoque hunc Mundum ex omnibus possibilibus perfectissimum esse in sensu Leibnitziano, ipsiusque Rationis Sufficientis systema, dummodo agatur de Liberis Dei actionibus. Contendit enim ipse, Sapientiam perfectissimam esse scientiam optimos, & perfectissimos sibi fines proponendi, & eligendi media optima, quæ ducant ad illos: unde cum optimum sibi finem in Creando Mundo Deus constituisset, idest propriæ gloriæ manifestationem, debuisset quoque Mundum, qui ex omnibus possibilibus perfectissimus erat, eligere. Quæso: hic ergo Mundus effectus est a Deo, quia perfectissimus videbatur, non vero perfectus ideò est, quia illum Deus elegit? Undenam vero ista Bonitas in mundo oriretur, nisi ex Divinâ Voluntate? Dei Voluntas est caussa rerum effectrix, Dei Voluntas non subsequitur ullam Creaturarum perfectionem, sed antecedit, & caussat. Rectè Augustinus L. 1. contra Manich. c. 2. = Quare fecit Deus Cælum, & Terram? Respondendum est, quia voluit; Voluntas enim Dei est caussa Cœli, & Terræ ... Sed qui dicit: quare voluit facere Cœlum, & Terram? majus aliquid quærit, quam sit Voluntas Dei, nihil vero majus inveniri potest = At Deo repugnat, aliquid efficere imperfectum. Fateor; & iste mundus perfectus est; sed idcircò perfectus, quia eum elegit Deus; & cæteri, quos eligeret, essent æquè perfecti utpotè qui Creatoris finibus æqualiter responderent. Negamus vero, quod Deus non foret Sapientissimus, nisi Rem omnibus possibilibus meliorem efficisset. Ejus enim infinita perfectio, ad quam ostendendam Creatio directa est, in eductione unius tantummodo cujuscumque athomi a nihilo satis elucesceret. Quo in loco advertendum, quod Rationis Sufficientis Leibnitzianæ principio in Divinis electionibus denegato, id tantum sequitur, existentiam scilicet contingentium non habere aliam rationem supra, & præter Divinam Voluntatem, quod equidem verum est, non autem absque ullâ ratione in Universo reperiri, quod nobis opponunt VVolphiani. Habent enim rationem in caussis secundis, & in Liberâ, atque Efficaci Voluntate primæ Caussæ. Ne vero, quis arguat, me injuriosum esse Leibnitzio, dum agens de læsione Divinæ Libertatis, quam Stoici inducebant, colligam quoque huc veluti in unam rem systema Leibnitzianū; sciat,*

verbis

ra quæ a se aliena sunt, vult Deus, inquantum ordinantur ad suam bonitatem, ut in finem: cum autem talia sint, ut sine iis finis esse possit, quia Dei Bonitas perfecta est sine aliis, neque ei quidquam ex Creatione adjungitur, ideò & nulla necessitate fieri debeat. Neque vero inquiat Spinoza, Deum necessario Entia intelligere, & illa per consequens eâdem necessitate amplecti, cum æque Scientia atque Voluntas sint ejusdem Dei attributa. Nam quod objecta intelligantur, dependet ab ideis, quæ sunt in intelligente; quòd vero cupiantur, dependet a rerum bonitate: cum autem ideæ Dei debeant esse necessariæ, bonitas vero contingentium non possit esse infinita, ideò licet necessariò cognoscantur a Deo, absque ulla tamen necessitate eliguntur. Revera præstantissimâ Deus proprietate careret, quâ nos tantopere gloriamur, si indifferentiam circa externa non haberet. Et quamvis qui ad utrumlibet potens est, videatur esse defectuosus, utpotè qui non

---

verbis tantummodo asserere Leibnitzium, & cum ipso Volphium, hypoteticam ab eorum ratione sufficienti necessitatem in Deo induci, re autem verâ penitus absolutam admitti. Quamvis enim, ajebat pluribus in locis Leibnitzius, cum finem sibi constituisset Deus ostendendi gloriam suam, dedeceret eum pro Summâ Sapientiâ medium non eligere omnium optimum, & mundum cæteris possibilibus perfectiorem, tamen Liberum ei fuit initio, an vellet hujusmodi gloriam patefacere; unde hypothetica necessitas oriebatur. Sed quæro: meliusne erat Deo hanc gloriam manifestare, vel non? Melius equidem: unde cum facere debeat, quod melius est ex adversariis, nec Libera quoque fuit hujusce manifestationis electio. Si enim eligat, quod optimum cognoscit, & si optimum non possit esse nisi unum, ad unum a suâ Sapientia determinabitur. Revera fundamentum indifferentiæ contradictionis, quod consistit in multiplicitate, & defectu bonorum, ad quæ inclinamus (num. 31.), non valeret in Deo, qui unicum tantummodo inter cætera perfectissimum agnosceret: & sicuti Divina Perfectio impedit in eo contrarietatis indifferentiam (notâ num. 32.) ita impediret quoque illam contradictionis. Hæc objecerunt Leibnitzio Arnaldus, & plures Catholici, quorum de Theodicæâ judicium editioni anni 1719. præpositum est, tum ipse Bælius, inquiens: (Reponſ. au Provinc. ch. 151.) = Il n'y a donc aucune Liberté en Dieu: il est necessitè par sa sagesse à crèer, & puis a crèer prècisement un tel ouvrage, & enfin a le crèer prècisement par telles voyes. Ce sont trois servitudes, qui forment un Fatum plus que Stoïcien, & qui rend impossible tout ce systeme. Dieu auroit pù dire avant meme, que de former ces decrets = je ne puis sauver un tel homme, ny damner un tel autre: quippe vetor Fatis: ma sagesse ne le permet pas. = Neque responsiones a Leibnitzio traditæ vim argumenti sustulerunt. Potius ergo dicendum, Universum hoc electum fuisse a Deo, sed inter eos Mundos possibiles, qui potissimum, si Deus voluisset illis existentiam tribuere, fuissent æquè perfecti, cum æquè finibus ipsius apprimè correspondissent, & omnes Dei fines eandem habeant perfectionem.

non adhuc consecutus esset perfectionem, qua determinaretur ad unum, uti intellectus dubitantis nondum principia est assecutus, quibus ad alterutram partem inclinet; tamen hæc potentia Dei, sicuti & Animarum ad utrumque, defectum tantummodo arguit in Creaturis, cum nulla ex eis vim infinitam habeat ad rapiendã voluntatem, non vero in agentibus, in quibus potius eminentia virtutis commendatur, quæ diversis uti potest, veluti instrumentis ad opus perficiendum. Concludamus ergò falsò a Stoicis admissam esse caussarum seriem, quæ necessariò a Dei voluntate penderet; unde sarctam quoque, atque tectam ex eo capite consistere in hominibus eligendi indifferentiam.

LXIV. Plato vero cum observasset plura in Universo Mala contingere, quæ in Deo caussam habere non poterant, finxit tumultuosam quamdam Animam in materia, ut aliam mali seriem produceret contrariam ei, quæ a Deo bonorum omnium auctore oriebatur: & in hisce rerum seriebus Fatum constituit, a quo simul, & a Libero hominum arbitrio voluntatis actus oriri est arbitratus (a). In hujusmodi autem necessitatis modificationem plures Stoici, eorumque Princeps Chrysippus, ut invariabilem Fatorum ordinem cum humanâ indifferentia componerent, teste Tullio (b), descenderunt. Hypothesis itaque illius Animæ, quæ *Mala* dicebatur in Materiâ, & unde mala omnia manabant, vel aditum prabuit, vel connexionem habet cum Manichæismo, cujus originem Bælius (c) repetit a Zoroastre, contradicentibus tamen et Thoma Hydeo de Veterum Persarum Religiõe, atq; Humfredo Prideaux in historia Judæorũ, & dubitante Leibnitzio (d), nisi dicere velimus hujusce errorem de duplici Principio, Bono scilicet uno, Malo altero, a Persis, atque Chaldæis, uti Stanlejo placet (e), fuisse simpliciter adumbratum, postea fluxisse ad Græcos, & Romanos, qui Diovem, Vejovemque, sive Anti-Jovem, aliter Plutonem admittebant, denique fuisse perfectum a Manichæis, & Marcionitis, qui bonas actiones a Bono, malas a Malo Principio invincibiliter cogi clarissimè affirmabant. Scio Bælium (f), totis industriæ viribus decertare pro Manichæismo, ita ut difficilis, & supra humanam mentem refutationis illud esse systema dixerit, meliusque Manethem explicare caussas, atque originem boni, & Mali, quam Catholicos: præsertim quia, deplorat, miserè ratiocinatos Manichæos sententiæ suæ vim, & commoda ignorasse, parumque peritos tractandi præcipui sui teli fuisse, quod in difficultate de Origine mali reponebatur. Sed interim certum est, semper in ejus potestate reperiri, ut asserat, non item vero, ut ostendat. Hinc ipse Voltairius

(a) *Plut. de Plac. L. 1. c. 28.*
(b) *De Fato Cap. 17.*
(c) *In dict. art. Zoroastris*
(d) *Theod. P. 2. §. 136.*
(e) *Philos. Orient. L. 2. c. 6.*
(f) *Dict. artic. Manich. Marcion. & Paulinist.*

rius (a) observans in Universo finis Unitatem, & invariabiles mechanicæ motus, neque animum suum valens inducere, ut Duos Artifices Supremos invicem contrarios crederet easdem leges esse sequutos, vale dicit præceptori suo, & nullo labore opus esse contendit ad hoc systema evertendum. Revera qui duplex admittit Independens Principium, nullum admittit; & rationem Perfectissimæ Primæ, & Universalis Causæ tollit, qui adversam aliam, eodemq; tempore & æqualem statuit, & independentē (b).

LXV. Præterea sicuti Principium Bonorum est per essentiam Bonum ita ex lege contrarietatis Principium Perfectum malorū esse deberet Malum per essentiam: malum autem, si integrum sit, ut pluribus probant Aristoteles (c) Augustinus (d), & D. Thomas, se ipsum destruet. Cum enim nomine Boni intelligatur quædam perfectio, Malum autem sit boni privatio, corrupto omni Bono, quod requiritur ad mali integritatem, subtrahitur etiam ipsum malum, cujus subjectum, ut existat, debet esse Bonum. Hinc aliquid Malum per essentiam dari non potest. Esse enim, & perfectio cujuscumque Naturæ rationem habet bonitatis: impossibile est ergo quod Malum significet quoddam esse, vel naturam, quia hanc saltem haberet perfectionem, & bonitatem, quod esset. Atque hinc vulgatum est in Scholis, Malum esse Nihilum, Carentiam scilicet Boni, sicuti tenebras nihilum dicimus, idest lucis deficientiam. *Naturæ omnes*, ajebat citato loco Augustinus, *quoniam naturarum prorsus omnium conditor Bonus est, bonæ sunt; sed quia non sicut earum Conditor, summe, & incommutabiliter bonæ, ideò in eis & minui bonum, & augeri potest. Sed bonum minui malum est, quamvis quantumcumque minuatur, remaneat aliquid necesse est, si adhuc natura est, unde natura sit. Neque enim, si qualiscumque, & quantulacumque natura est, potest bonum consumi, quo natura est, nisi & ipsa consumatur. Hinc res omnes hujus mundi existentes bonum sunt aliquod, quod equidem si corruptione consumitur, nec ipsa corruptio remanebit, nullà, ubi*

(a) *Ph. Ign. doute* 23.

(b) *Hypotheses omnes (inquit Bælius Dict. artic. Marcion.) a Christianis stabilitæ ictus sibi intentatos male eludunt: triumphant namque, ubi adversarios invadant, sed omne robur ammittunt, cum oppugnantium impetum sustinere vicissim debent. Non diffitetur enim, ubi Melissum, unici Principii propugnatorem cum Zoroastre confligentem inducit, Dualistas, ut illos Hydeo duce appellat, hoc est duorum Principiorum defensores, in fugam protinus verti per rationes a* PRIORI *è naturà Dei depromptas; sed eosdem vicissim triumphaturos sibi persuadet, ubi ad rationes a* POSTERIORI *ab existentià mali ductas devenitur. Quamobrem malà fide arguit Catholicos, cum eorum demonstrationes intrinsecas, uti veras admittat, & interim illorum sententiam rejiciat, eoquod objectionibus nonnullis satisfacere se non posse cognoscit, quod est contra regulas Logicales.*

(c) *Eth.* 4. *c.* 5. (d) *Enchir. c.* 5. *& alibi*

ubi esse possit, subsistente natura. = Ubinam ergo sunt res istæ malæ, quæ a Malo Principio oriri debent: Quæ autem dementior consideratio dari potest, quam particularibus tantummodo peculiarium effectuum caussis, non vero Universali rerum omnium attendere, & malum ex: gr: ignem dicere, quia pauperis domum combussit? Judicium de rei bonitate non est juxta ordinem ad aliquid peculiare accipiendum, sed in se ipso, & in ordine ad totum Universum: quo in casu, licet Entium singularem bonitatem nonnisi confusè dignoscamus, quia ignotus nobis est magnâ ex parte finis, propter quem singula Deus creaverit, nec ut plurimum constat, quâ viâ ad finem illum perveniat, & intimam Entium substantiam, omnesque eorum proprietates ignoramus, tamen singula bona esse concludimus, eo quod habent omnia, ut præstent usum, cui ab Universali Creatore destinantur.

LXVI. Locus hic esset, ubi fusè dicendum foret de malorum origine. Quia enim Manichæi invenerunt, peculiarium effectuum contrariorum peculiares caussas esse contrarias, nescierunt reducere caussas particulares contrarias in caussam Universalem communem, & usque ad prima principia contrarietatẽ in caussis judicarunt. At cum omnia contraria conveniant in uno communi, scilicet in essentiæ ratione, necesse est in eis supra caussas contrarias proprias unicam tantummodo communem caussam inveniri. Brevitati vero studentes, nostroque præcipue scopo attendentes, paucis advertimus. Duo sunt in Universo malorum genera: *Physica* scilicet imperfectiones omnes, & irregularitates, quæ in mundo videntur esse, complectuntur, item ægritudines, dolores, interitus, corruptiones: *Moralia* vero, quæ etiam *mala culpæ* appellantur, consistunt in subtractione debitæ operationis in rebus voluntariis: hoc enim imputatur in culpam homini, cum deficit à perfectâ operatione, cujus dominus est secundum voluntatem. Mala quidem Physica, de quibus tantopere querebantur Epicurei (*a*), Dei Providentiam non dedecent. Nam oriuntur ex propriâ Creaturarum, corporumque constitutione, quæ temporis decursu necessariò infirmitates, aliasque perturbatiões producere debet; præsertim vero cum ordinis Universi ratio, cui attendendum est, id requirat, ut res variæ sint, alterentur, perturbentur, intereant. Deus prætereà suaviter omnia disponens, ea dirigit ad bonum, & etiam de malo benefacit, cum ex interitu nova, & plerumque nobiliora corpora producantur, & ex eisdem ægritudinibus, fulminibus, aliisque noxiis sumat ille media excitandæ in homine Charitatis, & culpæ puniendæ.

LXVII. Quod vero attinet ad mala culpæ, duo in iis, puta in homicidio, sunt distinquenda, scilicet *Actio physica*, & *Moralis actionis ejusdem Malitia*. Prima de se est indifferens, immo bonum aliquod, cum sit actio, & exprimat Entitatem; ut si homicidium idem in aliis rerum contingentiis, vel puræ defensionis gratiâ cum moderamine, ut inquiunt, in-

culpatæ

culpatæ tutelæ, vel casu fortuito non prævisο, neque culpabili, vel ex jussu Judicis patraretur, nullam culpam involveret. *Malitia* vero *Moralis* est deficientia a Dei regula, æternisque Legibus, & a recta ratione, in quo nempe Universa culpa consistit. Deus equidem, licet bonus, ad physicam actionis entitatem suâ permissione, immo verâ, ut inferius patebit, præmotione concurrit. Effectus enim realis caussæ secundæ reducitur in caussam primam, sine quâ nemo agit, & a quâ Entia Universa, qualis est quoque actio, dependent. Quidquid autem defectus in operatione continetur, unicè ex agentis defectu caussari debet, cumque in Deó nullus defectus esse possit, sed Summa Perfectio, orietur a solâ Creaturâ, quæ suâ naturâ est defectibilis, ita ut, sicuti Deus est prima causa Entium, sic Anima sit caussa prima nihili, sive non Entium, sive defectuum. Hinc Augustinus (a) inquiebat: *Malæ voluntatis nemo quærat caussam efficientē, non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa est effectio, sed defectio.* Movetur a Deo animus ad materiale culpæ; ad malitiam vero, sive formale movet se ipsum; & quamvis malitia ab actione nequeat separari, tamen Deus recte movet, homo vero efficit, ut motio bona in pravum usum torqueatur, Deoque exclamandi præbet aditum. *Servire me fecisti in iniquitatibus tuis* =. Non absimili ratione arguebat D. Thomas de tibia claudicāte: Sicuti enim quidquid est motus in claudicatiōe caussatur ex virtute motrici, sed quod est obliquitatis in ea, non ex virtute motiva, sed è cruris curvitate dependet: ita prorsus quidquid est Entitatis, & actionis in culpa reducitur & in hominem, & in Deum, sicuti in caussas, sed quod ibi est defectus, non producitur a Creatore, ut falsò contendebat secundo Ecclesiæ seculo Florinus, sed a sola caussa secunda deficiente.

LXVIII. Plurimos dedit strepitus in Scholis veritas illa, ex quo à D. Augustino introducta est ex mente Platonicorum, malum videlicet esse privationem Entis, cum contrà actio Dei semper ad aliquid tendat positivum. At Leibnitzius (b) animadvertens inertiam corporum naturalem esse specimen aliquod originalis Creaturarum limitationis ad rem nostram confirmandam inde appositum deduxit exemplum. Ponamus, inquit, ejusdem fluminis raptum secum vehere naves plures, onere solo inter se diversas, alias ligno, alias lapidibus, plus, minusve oneratas. Si ventis illæ, remis, velisque non agitentur, cum plus materiæ per eandem virtutem fluminis moveatur, quando navis majori mole gravetur, eam lentius procedere necesse est. Conferamus ergo vim, quam fluvius in naves exercet, quamque illis impertitur, cum actione Dei producente, & conservante quidquid in Creaturis est positivi, & largiente iis perfectionem, essentiam, atque virtutem: conferamus inertiam materiæ cum imperfectione naturali Creaturarum, & tarditatem navis magis onustæ cum defectu in qualitatibus, & actione Creaturæ reperto. Fluvius est caussa motus

(a) *De Civ. Dei L. 12. c. 7.* (b) *Theod. t. 2. §. 1. §. 30.*

tus navis, sed non est retardationis: Deus est caussa perfectionis in natura, & in actionibus Creaturæ, sed limitatio receptivitatis Creaturæ est Caussa defectuum, qui sunt in ejusdem actione. Hinc mali culpæ Creator non est caussa Physica, & mala ipsa fieri tantummodo permittit, sed eo modo, quo Divina Sanctitas non lædatur. Deus enim non est debitor Creaturis, ut teneatur auxilia efficacia omnibus dare, quibus infallibiliter culpam evitent; neque deficit ab agendo, quod est necessarium ad bonum, præbendo omnibus auxilia sufficientia. Præsertim vero Deus consulit bono, & pulchritudini Universi, quæ ex bonorum, malorumque ordinata permixtione consurgit, ut Justitia appareat in reis puniendis, Misericordia in infelicibus adjuvandis, bonique per impios exerceantur, sicuti silentii interpositio dulciorem efficit cantilenam, & umbræ ipsæ tabellas exornant, sine quibus omnis pictura, quamvis lucidissimis expressa coloribus, esset imperfecta. Hinc cum ipso Augustino (a) quærendum est = *PICTOR novit ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura, & Deus nesciet, ubi ponat peccatorem, ut sit formosa Creatura:* Falsò itaque contendebat Plutarchus libro de communibus notitiis adversus Stoicos, tollendam potius Deo esse potentiam, quam concedendam ei malorum permissionem, neque malum bono majori posse unquam deservire. Sunt præterea hominibus imperscrutabiles Dei fines, qui potissimum ad Deum non pertinerent, si integre a nobis cognosci possent. En igitur caussas Mali Physici, & Moralis, absque eo quod vel Deum negemus cum Atheis, vel duplex Principium cum Manethe, atque Bælio admittamus, quoniam suppositâ Dei Summè Boni Unitate, & essentiali Limitatione Creaturarum, sive imperfectione omnia intelliguntur (b). Satis autem nobis sint ista de Manichæorum hypothesi, quæ ampliori oratione everti posset tum ex aliis D. Augustini, D. Thomæ, Sanctorumque Patrum Philosophicis argumentationibus, tum ex Clarkio (c), & Leibnitzio (d) aliisque; ita ut si Fatum Manichæum nullum est, inviolata inde remaneat humana Libertas. Nemo enim cum Platone asseret a Malo Principio, quod non datur, cogi malas hominum actiones, neque a Bono bonas, cum infrà sim ostensurus nullam imponi nobis a Deo necessitatem.

LXIX. At aliud est Fatalistarum genus confutandum, qui Venefici, Astrologi, & Genethliaci appellantur, quales fuere Pharisæi ex plurimorum

 rum

(a) *Serm. de Macchab.*

(b) *Quærebant plures apud Boëtium in primo de Consolatione = Si Deus est, unde Malum; si non est, unde Bonum? = Sed è contrario arguendum esse advertit Angelicus c. 5. L. 3. c. 71. = Si malum est, Deus est: non enim esset malum, sublato ordine boni, cujus privatio est malum: hic autem ordo non foret, si Deus non esset. =*

(c) *De l' Exist. t. 1. Ch. XI.*

(d) *Theod. t. 2. 1. P. a §. 1. usque ad 106.*

rum sententia & præcipuè Bardersanes secundo Ecclesiæ seculo, atq;Cardanus, quique humanas actiones ad unum determinari percantato aliquo medicamine, syderumque, & Cœlorum aspectu arbitrabantur. Influunt equidem externa corpora, & præsertim Cœlestia supra terrena, & licet de actione Lunari in ligna, ostreasque marinas dubitare velimus, Solis tamen vim & in plantis, & in corporibus hominum, brutorumque denegare non possumus. Hinc Genethliaci concluserunt Planetas quoque supra animam vires suas exercere. At vero si intellectus, & voluntas essent vires corporeis organis alligatæ, uti Democritus, Empedocles, aliique posuerunt, intellectum esse corpoream virtutem, quæ a sensu non differat, aut si imagines corporum mentibus materialiter imprimerentur, quasi caractere in paginâ, qualis erat ex Boëtio Stoicorum sententia, certe ex corporum externorum, syderumque præsertim actione intellectuales in nobis notiones orirentur; cumque corpora ista terrestria subjecta sint transmutationibus corporum Superiorum, anima sequeretur motus Cœlestes juxta illud Homeri = *Talis est intellectus in hominibus, qualem in dies inducit Pater Virorum, Deorumque* = idest Sol, vel magis Jupiter, per ipsum intelligens Cœlum Universum. At intellectus differt a sensu, & quævis animæ actio plurimum diversa est a motibus corporeis: immo ipse animus supra ideas a corpore habitas agit, abstrahit, componit, corrigit, invenitque nova, quæ ab eo non producuntur. Cum itaque ex hisce pendeat humana in agẽdo indifferẽtia, id unicè dici potest cum Augustino (a): ad solas corporum differentias fortasse afflatus valere sydereos, eorumque temperiem constituendam, sed nonnisi indirectè operari ad bonitatem intelligentiæ, uti præsertim ad vires memoriæ, & phantasiæ, nullo autem pacto prohibere, quominus homo ex suo arbitrio electiones, voluntatesque suscipiat, ita ut sint veluti aliæ concaussæ comitantes, quæ motiva nostrarum actionum adjuvant, nullam vero vim inferunt. Non absimili ratione plures sequuntur passiones in motu sensitivi appetitus, ad quem cooperari fortasse possunt medicamina, & corpora Cœlestia, aërisque temperies: unde etiam ex hoc capite aliquid veri semel, atque iterum, saltem in communi, prædici posse ab Astrologis libentissimè concedimus. Cum vero plures sint viri fortes, sapientesque, qui passionibus hisce resistant, ideo ipsi in speciali nil prædicere poterunt, & sæpe coguntur, ut dicant, *Sapientem astris dominari*, eoquod scilicet suis passionibus dominetur. Quamvis autem Astrologi plura se prædixisse glorientur, tamen referendæ essent, ut ajebat Genuensius (b), in tabellas circulatorum hujusmodi prædictiones, ut quæ mentiantur, quæ vera pronuntient, quisque posset dimetiri. Erit enim una fortasse opere completa prædictio, sed plures Miriades mendaciorum, de quibus lege Tullium de Divinatione, & Picum adversus Astrologos. Nil vero dicimus de philtris percantatis, aliisque hujuscemodi, in quibus,

(a) *De Civ. Dei l. 5.* (b) *El. Metaph. p. 2. c. 4. §. 39.*

quibus, si vera sint, nonnisi peculiares casus observari poterunt, nec Universalis hominum indifferentiæ sententia, quam hic defendimus, debilitatur. Hoc enim medicamine si talis motus imprimi possit Spiritibus animalibus, qualem in amentiâ, delirio, & ebrietate videmus, humana potissimum Libertas eo casu offendetur ex perturbatione rationis; sed ipsa hominum Libertas generaliter inde etiam patefiet, cum hisce opus non esset, nisi homines forent Liberi. Generatim vero omnes Fatalistæ, & vulgus præsertim Poëtarum confutantur, eoquòd, si hoc Fatum est aliqua Peculiaris Substantia, cui omnia, & ipsa Divinitas subjecta sit, aderit aliquid Deo superius, vel æquale, quod est absurdum; si vero non est, nisi Deus, quem nobis necessitatem nullam imponere modo ostendam, poterit ne Fatum aliquod ad agendum homines rapere necessariò?

LXX. Ventum modo est ad Fatum Catholicum, quo intelligitur cum Boëtio (a) immutabilis rerum mobilium dispositio, per quam Dei Providentia suis quæque ordinibus nectit, vel cum D. Thomâ (b) ordinatio caussarum secundarũ ad effectus Divinitus intentos. Cum enim omnia ab æterno præscita sint, atque decreta, immò cum ipse Deus ad quaslibet actiones nos præmoveat in sententiâ Thomistarum, efficitur series quædam determinata caussarum, & effectuum, quæ non abrumpitur, eo quod Dei Scientia est infallibilis, certissimum Dei Decretum, efficacissima Creatoris Præmotio. Hinc Fati nomine Deum ipsum plures intelligunt, ut ajebat Seneca = *Vis illum Fatum vocare? Non repugnabo: hic est, ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum . . . Vis naturam vocare? Non peccabis: est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus* = Sed sapienter admonebat Augustinus (c) inquiens. *Si propterea quisquã res humanas Fato tribuat, quia ipsam Dei Voluntatem Fatum appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat.* = Hujusmodi itaque Fatum Catholicè sumptum in hâc rerum Universitate dari non denegabimus, sed illud tantũmodo vim animæ electionibus non inferre ostẽdemus. Jamvero, quænam sit vis Divinæ actionis *a priori* quidem cognosci nequit, quia imperscrutabiles sunt viæ ejus; benè autem *a posteriori*; & idcircò ex pœnis, prœmiisque, quæ homini Deus impertitur, meritum, atque demeritum in nobis agentibus esse deducemus, cum interim certum sit, nullum futurum fore meritum, atque demeritum, si Divina Volũtas hõines cogeret, & necessariò determinaret.

LXXI. Ac primò, num ista ipsa animæ pœna, inquiebat Augustinus (d) parva æstimanda est, quando ei Libido dominatur, expoliatamque virtutis opulentiâ per diversa inopem, atque indigentem trahit, nunc falsa pro veris approbantem, nunc etiam defensitantem, nunc improbantem, quæ antea probavisset, & nihilominus in alia falsa irruentem, nunc assentionem suspendentem suam, & plerumque perspicuas ratiocinationes formidan-

(a) *In 4. de Consol.* (b) 1. *p. q.* 116. *a.* 4.
(c) *De Civ. L.* 5. *c.* 1. (d) *De Lib. Arbitr. L.* 1. *c.* 11.

midantem, nunc desperantem de totâ inventione veritatis, & stultitiæ tenebris penitus inhærentem; cum intereà cupiditatum illud regnum tyrannicè sæviat, & variis, contrariisque tempestatibus totum hominis animum, vitamque perturbet, hinc timore, inde desiderio, hinc anxietate, inde inani, falsâque lætitiâ, hinc cruciatu rei amissæ, quæ diligebatur, inde ardore adipiscendæ, quæ non habebatur, hinc acceptæ injuriæ doloribus, inde facibus vindicandæ: quaquaversum potest coarctare avaritia, dissipare luxuria, addicere ambitio, inflare superbia, torquere invidia, desidia sepelire, pervicacia concitare, afflictare subjectio, & quæcumque alia innumerabilia regnum illius libidinis frequẽtat, & exercent: possumusne tandem nullam istam pœnam putare? Utique felicius servitur homini, quam libidini, cum sævissimo dominatu vastet corda mortalium, ut alias omittam, libido ipsa dominandi. Poëtæ impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt ob scelera, animique superbiloquentiam; & ea communis pœna stultitiæ est: omnibus enim, quorum mens abhorret a ratione, semper aliquis aliis dolor, aliis terror impendet.

LXXII. Verum cur hujuscemodi acerbissimas pœnas patiamur? Sub Deo justo nemo innocens miser est. Nam justitia Creatoris non est simplex Potentia, quâ fulget, quamque exercet distribuendo bona, atque mala, ut contẽdebat Hobesius in quæstionibus cum Bramhallo de Libertate, Necessitate, & Casu; sed in voluntate potissimum sita est, qua illa juxta rationem & peculiaria jura cuique tribuantur, quæque Æternis Sapientiæ, Bonitatisque Legibus apprime conjungatur. Quomodo itaq; fit mens serva libidinis, nisi propriâ voluntate? Certum est, neque a Superiore, neque ab æquali posse animam ad hoc dedecus, suppliciumque cogi, quia est injustum; neque ab inferiori, quia non valet. Ut ergo cœteras culparum pœnas relinquamus, quæ a caussis naturalibus oriuntur, sed a Deo simul puniendis hominibus ordinantur, hâc solâ quæ in interno est, animo propositâ, justè ne culpæ eædem vindicarentur, nisi fierent voluntarie? Scio enim temporalia bona, atque mala justis, impiisque voluisse Deum esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. Sed si ad ea interna, & pure spiritualia mala attendamus, de quibus usque modo locuti sumus, quæque impiis tantummodo, experientia teste, infliguntur, dedecet Divinam bonitatem, nisi sub pœnæ ratione, eis afficere Creaturas; & veras idcirco pœnas nobis aliquoties tribui a Creatore est concedendum. Cum autem pœna innocẽtibus dari non possit sine injustitia, quæ prorsus aliena reputanda est ab Ente Perfectissimo, hinc homines in suis actibus innocentes aliquando non esse, sed verum in seipsis demeritum habere fateamur. Idem intelliges de prœmiis, ideoque de merito. Cum enim ærumnis sæpius innocentes afficiantur, crudelis quoque Deus esset, nisi illi spe prœmiorum, ad quæ aspirant ex passionum conflictu, & ægritudinum tolerantia, aut saltem conscientia virtutis, tanquam

quam proemio satis amplo recrearentur. At quodnam esset Creaturæ meritum, vel demeritum, si a Deo ipso necessariò cogeretur? Satis ostensum est a pluribus cōtra tertiam Jansenii propositionem ab Innocentio X. proscriptam, ad merendum, & demerendum etiam in statu Naturæ lapsæ requiri in homine libertatem a *necessitate*, neque sufficere libertatem a *coactione*. Ut enim aliquis proemio, vel pœna dignè afficiatur, debet sui actus esse Dominus, & de eo inter plures alios disponere: ideo namque laudandus est, aut vituperandus, quòd ad illud opus bonum, vel malum se determinaverit, a quo poterat abstinere, quæ omnia non conveniunt agenti ex necessitate, quæcumque ista sit, dummodo habeatur absoluta, & ad unum unicè determinans.

LXXIII. Hic vero refertur argumentum illud de pœnis, atque prœmiis, consiliis, precibus, injuriis, quibus utuntur Legislatores, tum cœteri homines ad alios a nonnullis actionibus retrahendos, quæ omnia essent absurda, ut ostendit Augustinus (a), si necessitas qualiscumque, præsertim a Deo proveniens, nos unicè determinaret. Nam si hominem necessario interfecimus, neque in nostrâ potestate fuit id agere, vel non, exhortationes, injurias, mortem ipsam pro facinore non meremur. Consiliane, preces, atque supplicia, vel prœmia traduntur unquam hominibus ob motum cordis, pulmonumque vitales actiones, quarum domini non sumus? Ipsa admiratio in gestis aliorum, uti laus, & vituperium, hominis in agendo indifferentiam ostendit. Alexandri moderatio, qui hostis uxorem veneratur, quamvis eam jure belli, uti vile mancipium, sibi esse sentiat, majorem excitat in nobis admirationē, quam numerus penè infinitus præliorum, triumphorumque, quibus tantopere excelluit. Atheniensis ille, qui longo tempore publici Ærarii Præfectus, & Minister, moriens interim Reipublicæ curam relinquit de impensis suorum funerum, dotibusque filiarum, generosæ paupertatis majorem laudem mereri videtur, quam verba omnia, doctrinæque Platonis, & Senecæ, qui divitiarum copiâ abundantes laudibus paupertatem celebrabant. Extollo amorem Catonis pro Romanâ Libertate, sed ejus superbiam detestor, dum violentas in se manus infert, ne conspiciat adversarium. Si necessariò nos adigimur ad agendum, absurda, & frustranea essent omnia: quippe & Virtus nulla daretur, & Vitium nullum foret, & Leges tum humanæ, tum Divinæ, consilia, atque preces surdis canerent, ad quod unice tendit, quam refellimus, opinio, ut scilicet frœnis hisce de medio ablatis, eâ in agendo indifferentiâ abutantur adversarii, quam verbis denegare videntur.

LXXIV. Est autem in ordine rerum Universo, in Creaturarum relationibus, in ipsâ hominis Ratione quædam inscripta Lex, ad quam actiones omnes, laudesque sunt reducendæ. Cum enim, consentiente nobis Tullio

(a) *De Civ. L. 5. c. 9.*

Tullio ex plurium Sapientium sententiis (a), Ratio Summa insita in naturâ, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria, quando est in hominis mente confirmata, & confecta, *Lex* appelletur, cumque omnia, quæ Divinæ Providentiæ subduntur, a Dei mente, utpotè Sapientissimi Gubernatoris, regulētur, & mēsurētur, manifestū erit, a rebus omnibus participari quodā modo hanc Legem Æternā, eo quòd scilicet ex impressione ejus in proprios actus, & fines inclinantur. Inter cœtera vero Rationalis Creatura excellētiori veluti modo Divinæ Providentiæ subjacet, inquantū & ipsa fit Providentiæ particeps, cum sibi, aliisque provideat; unde & in eâ præcipuè participatur Æterna Ratio, per quam ad debitū actum, atq; finem inclinationem habeat naturalem. Ideò primum principium Legis in ratione Boni fundatur, quod Bonum scilicet faciendum sit, & prosequendum, Malum vero vitandum, eique innituntur cœtera Naturæ præcepta. Debitus quoque finis, & usus ipse Creaturarum, ne statutus ordo convertatur, veram dari Legem, Virtutem, Vitiumque demonstrant. Corpus ex: gr: hominis est propter Animam, & inferiores vires Animæ propter Rationem: est igitur naturaliter rectum, quod ita procuretur ab homine corpus, & inferiores animæ vires, ut inde actus Rationis, & bonum ipsius minimè impediatur, magis autem adjuvetur: Si vero secus acciderit, erit naturaliter peccatum. Vinolentiæ itaque, & commessationes, & inordinatus venereorum usus, per quæ rationis actus impeditur, immò & cœteris passionibus quibuscunque subdi, quæ deliberativum judicium rationis esse non sinunt, sunt naturaliter mala; & idcircò est Bonitas quædam in actibus & Malitia, cuicumque tabulis editæ legi anterior, immò juxta quam leges ipsæ conditæ sunt, quod fusiùs ostendere vellemus contra Hobesium, Helvetium, Roussojum, item Puffendorfium, & Samuelem Coccejum, nisi institutæ disputationis ratio id prohiberet.

LXXV. Atvero ubi, inquam, virtus ipsa, ubi vitium, ubi leges, consilia, pœnæ, exhortationes, si Fato quodam, præsertim Divino, necessitate adigamur absolutâ? Aut peccata non sunt, aut peccandi caussa ad Creatorem unicè refertur: quia tunc culpa inveniri posset, cum velle foret injustum, & liberum nolle. Quo in casu mirum est, ipsos adversarios necessitatem admittentes, in iis posteà, quæ ad ipsos pertinent, uti consiliis, precibus, pœnis, prœmiisq; ut, quod ipsi volunt, alii faciant, unde a se ipsis redarguuntur (b). *Cum aliquis eorum*, advertebat Augustinus ad Lampadium

(a) *Vide Cic. de Leg. l. 1., ubi plurima solidissima pro hoc loco afferuntur; item vide S. Th. 1. 2. q. 91. a. 2., & Clarkium Exist. De Dieu t. 1. ch. 13., & t. 2. Chap. 3., quæ omnia fatetur quoque Voltairius Ph. Ign. d. 31.*

(b) *Indulgere non possum Voltairio, quod libertatem animorum pluribus in locis denegaverit, cum ipse tanto animi conatu, tantâque vi dictionis eandem defendisset iisdem pene argumentis, quibus hic usi sumus. Inquit enim Epitre sur la Liberté p. 13. edit. Amstelod. an. 1738. Ha!*

dium (a) *hominibus nummatis fatua fata vendiderit, mox ut oculum a tabellis eburneis ad domus suæ moderamen revocaverit, non solum vocibus, sed etiam plagis emēdat uxorē, non dico, si petulātius jocantē, sed si immoderatius per fenestram aspicientem animadverterit. Quæ tamē si ei dicat:* QUID ME CÆDIS? *VENEREM CÆDE, SI POTES, A QUA COGOR, HOC FACERE: tum vero ille non curat, quam vana verba componat fallendis extraneis, sed quam justa verbera imponat corrigendis suis. Et ego ne expectabo, ut contra Fata disputem, cum tanta eum non verbis, sed factis eloqui deprehendam?* Si Fatum esset, dicam cum Eusebio (b), responderet impius prædicanti, vel consu-

Ha! Sans la liberté que seroient donc nos ames?
Mobiles agités par d' invisibles flammes,
Nos vœux, nos actions, nos plaisirs, nos dégouts,
De notre étre en un mot rien ne seroit à nous.
D' un Artisan Supréme impuissantes machines,
Automates pensants, mus par des mains Divines,
Nous serions à jamais de mensonge occupés.
Vils instruments d' un Dieu, qui nous auroit trompés.
Comment sans liberté serions nous ses images?
Que lui reviendroit il de ses brutes ovrages?
On ne peut donc lui plaire, on ne peut l' offenser:
Il n' a rien a punir, rien à recompenser:
Dans les Cieux, sur la terre il n' est plus de justice,
Caton fut sans vertu, Catilina sans vice,
Le destin nous entraîne à nos debordemetns:
Et ce cahos du monde est fait pur les mechants.
L' oppresseur insolent, l' usurpateur avare,
Cartouche, Mirivis, ou tel autre barbare,
Plus coupable enfin qu'eux, le calomniateur
Dira: Je n' ai rien fait, Dieu seul en est l' auteur,
Ce n'est pas moi, c'est lui, qui manque à ma parole
Qui frappe par mes mains, pille, brûle, viole:
C' est ainsi que le Dieu de justice & de paix
Seroit l' auteur du trouble, & le Dieu des forfaits.
Les tristes partisans de ce dogme effroyable
Diroient ils rien de pis, s' ils adoroient le Diable?

Istane ex animo inquiebat Voltairius, an Catholicorum personam referens? Scio, ipsum se excusasse, cur libertatem posteà negaverit, dum diceret (Phil. Ign. d. 13.) = L'ignorant, qui pense ainsi, n'a pas toujours pensè de meme: mais il est enfin contraint de se rendre = Sed cur, inquam, suas rationes alibi pro nobis adductas solidè non refutavit? Oculis errantibus alto
Quæsivit Cœlo lucem, ingemuitque repertâ.

(a) *Epist. 246. alias 243.* (b) *Præp. Evang. L. 6. c. 5.*

consulenti = *Non sunt potestatis hæc meæ, o Doctor, & ideò quid oportet, sollicitum esse, nisi hæc etiam sollicitudo mihi a Fatis destinata sit? Quod si docendi, præcipiendique tibi necessitas instat, frustrà tamen doces, ac præcipis: Faciam, si Fata volunt, immò vero laborandum mihi non est; aderit enim necessariò, quod fatatum est*. Unde & frustrà id ipsum nobis persuadere cõtenderent adversarii de humanâ necessitate, & frustrà nos ignorantiæ, ac præjudicatæ opinionis injuriis lacessirent, omnesque disputationes essent de medio auferendæ, nisi in animæ arbitrio foret, mutare sententiam, & propriis rationibus inclinari. Neque reponant cum Voltairio (a) se non loqui, ut alios doceant, atque revincant, neque prœmiis, aut pœnis hominem afficere, ut ille corrigatur, sed ut Fati, atque Divinitatis motioni pareant necessariæ. Cur enim, si id non obtineant, quod consiliis intendunt, licet se Divinæ coactioni admonendo satisfecisse putare possint, cur, inquam, dolore conficiuntur, eoquod alius non corrigatur? Ipsa itaque admonitio ad id unicè dirigebatur, ut qui deficiebat, resipisceret, quo non obtento, mœret animus. Et Fatumne ipsum inutiliter, & absque ratione me adigeret ad corrigendum, si alterius correctio à verbis, & actibus meis nullo modo, sed unicè a Fato expectaretur? Quid vero absurdius Philosopho, quam admittere Creatorem, vel etiam quodcumque Fatum agere quidquam frustrà, & absque ratione?

LXXVI. At Voltairius idem apud Nonnotte loco sæpius citato argumentum retorquet, pœnas inutiles esse dicens (idemque de prœmiis intellige) ad removendos homines a malo, positâ eorum libertate; necessarias vero tantum posse haberi, si vis externa coactionem in animas exerceat. Si enim, arguit ipse, ex suâ voluntate unicè agit homo, etiam proposito pœnæ metu, poterit sicarius ad grassationem vitandam non determinari, unde pœna ipsa reddatur inutilis: at si vis externa necessariò animam rapiat, si agat caussa physica, si aspectus rotæ, atque crucis invictam efficiat impressionem in cerebro, qualem recensior quidam Atheus autumat (b), tunc pœnæ timor omnino requiritur, ut furem corrigere possit, qui alterius aliquando supplicium erit intuitus. Sed respondendum, admissâ hominis indifferẽtiâ, non ideò prorsus inutilem esse pœnam, eoquod possit Anima contra pœnæ timorem determinari. Namque ipsa agere debet juxta Rationem, & ad supplicii rectitudinem statuendam satis est, si Ratio, quæ illius ideam exhibet, valeat *semel*, *atque iterum* id efficere, ut homo ad non furandum potius, quam furandum inclinet: quo in casu pœna non efficit vim animæ necessariam, sed est una ex illis cõcaussis, quibus pondus inest ad eligendi facultatẽ dirigendam. Utilia ergo sunt prœmia, atque supplicia, ne homines blanditiis præsentium voluptatum deliniti, quos dolores, quas molestias excepturi sint, occœcati cupiditate non

(a) *Phil. Ign. d.* 51.
(b) *Examen de la Religion qu'on attribue a M. de St. Euremond P.* 2.

non videant, & animæ, quæ determinari ex se ipsâ debet rationabiliter agens, metu futuræ pœnæ potius, quam præsenti delectatione moveatur. At posito omnimodæ necessitatis systemate, grassaretur ille infallibiliter, etiamsi pœnas acerbissimas animo proponeremus, dummodo eâdem necessitate compulsus esset. Neque supplicium tantam vim habet, ut homines à culpâ retrahat necessariò, cum ostensum sit in superioribus, externa objecta infallibiliter animam non rapere, cumque sæpe videamus homines furari, licet alios ob id suspensos aspexerint.

LXXVII. Permittit Benedictus Spinoza, quem posteà sequutus est citatus auctor Examinis supra Religionem, permittit, inquam, Principibus, ut gladio utantur contra in pios, non quòd illi pœnam ullo pacto mereri possint, cum scelera ex necessitate patraverint, sed ea tantum ratione, quod hæc putrida membra e societatibus sint recidenda. At quæso bona verba. Si denegemus in homine indifferẽtiam agendi, quæ unquam poterit consistere Respublica, quæ auctoritas in Principibus? Voluntario populorum consensu Reges imperant, omnẽque respuunt absolutæ necessitatis hypothesim fœderum fides, jus legum, magistratuum electio, sanctionesque Reipublicæ, quæ potissimum labefactantur, si metu tantummodo minuatur quo nodolibet voluntarium, universa vero cadunt, sublatâ in hominibus eligendi facultate. At pœnæ, inquit, sicariis, licet innocentibus, infligantur, ut bene sit Reipublicæ. Sed quo unquam jure publicum bonum privato esset præferendum, si lex nulla daretur, inducto necessitatis systemate? Neque dicat Hobesius, in virtute consensus posse scelestum suppliciis affici, si mala inferat aliis, licet ipse pœnam non mereatur: hæc enim lex ipsa, quæ obliget in virtute consensus, nullum habere potest fundamentum, nisi in antecedenti populorum liberâ voluntate, cum ad nihilum teneatur, postquã assenserit, qui necessitatis absolutæ vinculo adstrictus dissentire non poterat.

LXXVIII. Atque hic rationẽ planè perspicitis, cur humanæ tantum Animæ hujusmodi gaudeant præstantissima facultate, ut indifferẽter ad alterutrum determinentur, non vero bruta, & cœteræ corporales Creaturæ, de quo quærebat Voltairius (a). Cum enim Creator ad homines producendos

(a) *Miratur (Dict. Phil. art. Lib.) auctor iste, quem peculiari modo in hâc dissertatione aggressi sumus, cur non agendum nobis erit necessario, uti agant bruta, quibus in fame, siti, aliisque simillimi sumus; & ait (Ph. Ign. d. 13.) = il serait bien singulier, que toute la nature, tous les astres obeissent a des loix eternelles, & qu'il y eût petit animal haut de cinq pieds, qui au mèpris de ces loix peût agir, comme il lui plairait au seul grè de son caprice. Il agirait au hazard, & on sait, que le hazard n'est rien = Multæ difficultates paucis hisce verbis ingeruntur, quæ ut singulariter discutiantur, infra videbimus, etiam homines subjectos esse Legibus Æternis, sed eo modo,*

cendos motus fuerit, ut gloriam suam ostenderet, quæ in justitiâ præsertim, thesaurique bonitatis habetur, reliquit eos in manu proprii consilii, ut legibus quibusdam subjicerentur, & inde capaces fierent meriti, atque demeriti, quo pœnas, vel prœmia reportarent. Quod vero potius homines hoc jure polleãt, quam plantæ, vel bruta, id effectum dicimus, quia homo solum rationalis est, & indifferentia fundamentum habet in ratione. Reponit equidem adversarius (a), Rationẽ efficere melius cogitantes, non vero minus necessarios; sed non videt ille nexũ, qui inter intellectus, & voluntatis indifferentiam habetur, neque advertit rationis usum absque hujusmodi immunitate coactionis non posse consistere, ut dẽonstravimus (b). Licet autem ipsa corpora suarum motionũ caussas non semper extra se habeant, si scilicet deorsum descendant, aut operentur ex internis elasticitatis, attractionisque virtutibus; non idcirco tamen hominũ animis erunt comparanda, cum ab intrinsecis principiis non omnes substantiæ agantur æqualiter. Quod ut clarius intelligatur, advertendum, omnia tendere in finem aliquem, ut Divina Providentia consistat; sed illa perfecte moventur ab intrinseco, in quibus est principium, non solum ut moveantur, sed ut moveantur in finem, scilicet ejusdem finis notionem habeant, quâ determinate agant propter illum. Ea vero substantia, quæ finis nullam habet ideam, etsi moveatur ab interno, tamen non potest in se habere principium ejus, quod est agere propter finem, sed illud habet in alio tantum, a quo dirigitur; unde moveri voluntate non dicitur, quales quidem sunt Creaturæ inanimes Universæ. Hæc insuper cognitio, si in solâ finis apprehensione consistat, absque eo quod agnoscatur, uti fit ab homine, ratio finis, & proportio actus ad eundem, erit imperfecta, eandemque sequetur voluntarium quoque imperfectum, prout scilicet finem apprehendens non deliberet, sed subito in ipsum moveatur. Cum igitur in illa operis deliberatione sita sit indifferentia, & actus dominium, patet animalia bruta necessario determinari, quamvis finem in agendo videant, quia nempe illum imperfectè cognoscunt. Revera ab objectis tantummodo præsentibus excitantur, & a viribus imaginationis actuali indigentiâ productæ, quod nullum in eis idearum, & per consequens volitionum dominium

do, quo non evertatur, sed confirmetur agendi indifferentia. Hic vero respondemus tantummodo, cur solos homines necessitati Deus non subjecerit. Qui denique asserit, nos casu agere, dum inter plura id eligimus, quod etiam adversari possemus, is equidem Casus vocabulo ad inscios decipiẽdos abutitur. Non est enim Casus, ubi adest caussa agens, scilicet Anima, ad effectum producendum determinata: præsertim vero cum eligat homo ratione ductus, internisque motivis.

(a) *Dict. Phil. art. Libert.*
(b) *Num. 39. & seq.*

nium esse indicat, ut Dominus de Boulier jurè meritò contendebat (a).

LXXIX. Sentio vero non mediocrem objici difficultatem argumento ex pœnis, prœmiisque supra inducto, si advertamus, bruta dolores, voluptatesque sentire, eoquod eodem, ac homines, amore, metu, irâ, atque odio, in unum affectibus agitantur. Licet enim hujusmodi sensum illis denegaverit Cartesius ex inventâ authomatum sententiâ, nihilominus fatendũ est, eadem lætitiæ signa præseferre aliquoties bruta, quæ homines, iisque similes gestus, & vocem præstare, si ægrotent; unde & eosdem dolores pati, & eâdem voluptate gestire illa deducamus, præsertim vero, cum causlæ prorsus eædem ad affectus moveant belluas, atque homines, ita ut non ex verberibus tantum, sed ex opinione etiam injuriæ, uti gesticulationibus quibusdam, sonisque inconditis similiter irascantur. Jamvero cum illæ non sint in agendo indifferentes, videbitur fortasse meritum, atque demeritum generaliter non supponi ex hisce dolorum pœnis, prœmiisque voluptatum. Sed advertendum, dolores, & voluptates in brutis non esse proprie pœnas, atque prœmia, uti in hominibus. Quomodo enim pœna consistet, si bellua, cui infligitur, non intelligat, ad quem unice finem infligatur? Amens esset homo, qui Canem eo tantum animo percuteret, ut pœnas ille lueret de malefacto: & vapulant bruta, ut à nonnullis actibus deterreantur, non quòd illa cognoscant, furto ex: gr: deberi verbera, sed ut deinceps vi imaginationis, quâ plurimum pollent, præsentibus escis, recordentur dolorum, quos aliàs ob illarum rapinam fuere perpessa, & aufugiant. Revera inutiliter percutiuntur, nisi illicò, & fere præsentibus propriæ temeratis ideis, objectisque verberentur. Hinc *si aliquando* pœnæ, atque prœmia brutis tribuantur, id quâdam veluti morum consuetudine fit ab hominibus, qui internã animo receptam iram, delectationemve

 externis

(a) *Vide præclarum ejus opus = Essai Philosoph. sur l' ame des betes P. 2. ch. 12. ubi ait = La sphère d'activité (de l' ame sensitive des betes) est renfermée dans ses sensations. Mais ses sensations sont des perceptions confuses, qui lui deviennent presentes. Elle n' est donc point maitresse de suspendre son attention a leur egard, d'eloigner, & d'apeller celles, qu'il luppi plait, de les comparer ensemble par la reflexion, d'en faire naitre des novelles pour les opposer aux autres, ce que peut l' Ame raisonnable à l'egard de ses [illegible] L' ame sensitive se remuera donc toujours dans le petit cercle des ses sensations, & n'agira, qu'autant que ce qu'elle sente, lui donnera lieu d'agir. D'allieurs n'etant pas maitresse de se donner d'autres perceptions, que celles qui l'affectent dans ce moment, si elle agit, ce sera conformement a la sensation presente, la quelle pour peu, qu'elle soit vive, la determinera infalliblement. La douleur, & le plaisir sont les poids, pour ainsi dire, & les ressorts, qui l'inclineront, & la plus fort sensation l'emportera par consequent sur la plus foible =*

externis verberibus, injuriisque, aut blanditiis prodere, & explere sueti ita pariter cum brutis operantur; aut improprie, immò sæpius allegorice infliguntur, uti Deus ex: gr: Serpenti pœnam dedit, quâ supra pectus suum graderetur (a). Quod vero Creator voluerit doloribus quibusdam bruta subjicere absque demerito, hoc pendet ex ejus finibus, qui nobis sunt incomperti; nisi dicere velimus, id fortasse ad Universi ordinem ducere, eosque dolores voluptatibus compensari, immo & dolores quoscumque in brutis non sufficere ad infelicitatem inducendam, cum belluæ reflexionis sint expertes, sine quâ nulla miseria, nulla felicitas, juxta illud = *O fortunatos nimium, sua qui bona norunt!*

LXXX. At Leibnitzius, quamvis a Bradwardini, VViclefi, Hobesii, & Spinozæ opinionibus sit alienus, qui necessitatem hanc rerum omnium prorsus Mathematicam docent, interim tamen affirmat, non aliter nos vulgo loqui, ac si necessitas actionis omne meritum, & demeritum, omnem laudis, & vituperii, prœmii, atque pœnæ rationem tolleret, fatendum vero esse, hanc consequentiam non fore undequaque exactam, & semper veritati litandum, nec dogmati cuipiam imputandum id, quod ex illo non sequitur. Opponit enim (b), licitum esse furiosum occidere, quando aliter illum a nobis propulsare nequeamus, item & animantia venenata, aut valde noxia, quamvis citrà culpam suam talia sint, perimere licitum, immò sæpe necessarium. At non advertit vir acutissimus, interneciones hujusmodi ad unicam tutelæ, atque defensionis caussam permitti contra homines, & præterea, si de brutis loquamur, adjungi quoque jus illud non usus tantum, sed & consumptionis belluarũ, quod habuimus a Creatore. Deus vero in intimis scelestorum doloribus, de quibus supra locuti fuimus, aliisque malis nonnisi pœnam propriè dictam infligit, cum equidem tutamine ullo contra nos non indigeat, hominesque effecerit animo eis benefaciendi, non vero ut in usum cederent, atque consumptio-

(a) *Quoniam quasi transeundo de re Theologicâ loquimur, scilicet de pœnâ, qua Deus in serpentem est animadversus, liceat Theologicam quoque responsionem, ne quis eam desideret, afferre. Inter cæteras vero, quæ ab Expositoribus adduci solent, unam eligo ex D. Thomâ 2. 2. q. 166. a. 1., ubi ait = Quod serpenti dicitur ad eum, qui per serpentem operatus est, refertur; & sicut August. dicit in L. 2. c. 17. supra Genesim contra Manichæos, nunc quidem ejus pœna, scilicet Diaboli, dicitur, qua nobis cavendus est non ea, quæ ultimo judicio reservatur. Per hoc enim, quod ei dicitur = Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ, pecora illi præponuntur, non in potestate, sed in conservatione suæ naturæ, quia pecora non amiserunt Beatitudinem aliquam Cælestem, quam numquam habuerunt, sed in suâ naturâ, quam acceperunt, peragunt vitam. Dicitur etiam ei = Pectore, & ventre repes = ubi nomine pectoris significatur superbia &c. Vide loc. cit. =*

(b) *Theod. t. 2. P. 1. §. 67.*

sumptionem, nisi ex legibus justitiæ. Sed addit ille, infligi etiam debere belluis pœnas capitales, si ista pœna exemplo esse posset, aliasque terrere, ut a noxa cohiberentur, ita ut, quod memorat Rorarius (*a*), bene provisum esset, Leones in Africâ Crucibus affigi, ut cœteri similes ab urbibus, Locisque frequentioribus arceantur, item & in agro Juliacensi palam præbere lupos furcâ suspensos, quo greges sint tutiores, hominesque in pagis recto consilio configerent aves prædatrices, putantes hoc pacto alias non facile accessuras. At vero ineptè suscipiuntur hæc omnia, non quia pœna in se sumpta quibuscumque infligatur nullo modo prodesse possit, ut contendit Leibnitzius, sed quia brutis solo intelligentiæ defectu est inutilis, utpotè quæ non cognoscunt, uti homines, quo potissimum scelere cœtera propriæ speciei condamnentur.

LXXXI. Ultimò tandem advertit Vir Clarissimus, inutilia non fore pænarum, consiliorumque media, etiamsi Bonum, & Malum esset necessarium, quippe quia partem caussarum efficerent, a quibus eventus necessarii orirentur, cum statutum foret, ut illi non evenirent, nisi hisce mediis opitulantibus. Atvero si Bonum, & Malum in homine fieret necessariò, pœnæ, prœmia, exhortationes, consilia, atque Leges nunquam ejusdem boni, malique media esse possent. Hæc enim ostendunt in animo adesse deliberationem, atque potentiam ad utramlibet partem inclinandi, quia revera eis non utimur, ut aliquis ex: gr: ab ægritudine convalescat, quod non est in hominis potestate, bene autem, ut medicamina sumat, quæ eligere potest, & adversari. Divina igitur Providentia nil frustrà agens, & omnia suis ordinibus ritè connectens quomodo unquam hisce, veluti mediis, uteretur, si revera effectus nullo modo ab animi arbitrio dependeret? Præterea est quædam Justitiæ species, quæ nec emendationem delinquentis, neque exemplum, neque mali reparationem pro scopo habet, sed fundatur in solâ convenientiâ satisfactionem exigente ad pravum actum expiandum, ut prœmia, atque pœnæ ex illâ dependentes, fatente eodem Leibnitzio, applicari nullo pacto queant iis, qui forsitan agerent absolutâ necessitate. Licet vero Hobesius hanc Justitiæ punitivæ speciem non admittat, quam Deus multis in Casibus sibi reservavit, quamque iis, a quibus alii reguntur, subinde communicat, immo & Sociniani eam fundamento carere arbitrentur; tamen fundata semper est in relatione quâdam convenientiæ, quæ satisfacit non solum offenso, sed etiam sapientibus eam cernentibus; & ad Sapientiam ipsam Legislatoris pertinet, actionem non relinquere prorsus impunitam, etiamsi pœna nemini ultrà corrigendo foret utilis; præsertim vero, cum certa quædam compensatio eo pacto Principi tribuatur, quem ordinis perturbatio offenderet, nisi punitio eundē ordinē aliquo modo instauraret (*b*). His igitur ita positis ad Catholicum Fatum redeamus.

LXXXII.

(a) *L. de brut. rat.*

(b) *Hac ratione ibidem contendit Leibnitzius ipse damnatorum pœnas justè*

LXXXII. Epicurus, ut absolutam necessitatem effugeret, asseruit futura contingentia determinatam non habere veritatem: quam posteà sententiam ut tueretur, primarium, & gravissimum rationis principium negare non est veritus, scilicet enunciationem omnem vel veram esse, vel falsam (a), ad easque angustias denique adigebatur, ut omnem quoque in Deo præscientiam inficiaretur. Quod equidem cum Enti infinite Perfecto non conveniat, nos omnia a Deo non solum præscita, sed etiam decreta admittimus, & interim non lædi humanâ in agendo indifferentiam demonstramus. Plures erronee cum Clarkio (b), & Laurentio Valla (Vide ejus dialogum cum Antonio Glarea Hispano, qui editus est contra V. Boetii librum de consolatione) considerantes Dei Scientiam, veluti nil influentem in actus humanos, præpositæ quæstioni respondent textu D. Augustini (c), quemadmodum nempe Memoria tua non cogit facta esse, quæ præterierunt, ita Deum Præscientiâ suâ non cogere facienda, quæ futura sunt. At ipsa Dei Scientia habenda est effectrix rerum, atque actionum juxtà vulgatam apud Sapientes ejusdem Augustini sententiam, quod scilicet, non quia sint Entia, ideo illa noscat Deus, sed ideò sint, quia novit; si enim Dei cognitio res alias non faceret, sed supponeret, ab illis quoad veritatem, & certitudinem dependeret, quod est absurdum (d). Hæc itaque Dei Scientia ab ipsius Voluntate & decreto non est sejungenda & per consequens aliter respondendum. Præscivit nempe Deus, atque decrevit hominum actiones: at vero cum ex ostensis de pœnâ, & prœmio, Lege, consiliis, exhortationibus, internisque luminibus pateat, velle Deum, ut absque ullâ necessitate agant homines, præscire debuit, atque decernere, ut illæ a nobis fierent summâ animi indifferentiâ. Cum enim Creatoris Præscientia sit certissima, & ejus Voluntas efficacissima, non solum ea fiunt, quæ ipse vult, atque cognoscit esse facienda, sed etiam eo modo fiunt, quo ipse vult fieri: cumque ergo Deus velit, ut absque ullâ necessitate fiant hominum actiones, tali equidem, & non alio pacto ab hominibus habebuntur. Revera *quoniam Deus est præscius voluntatis nostræ*, inquiebat Augustinus (e), *cujus est præscius, ipsa erit: Voluntas ergo erit, quia Voluntatis est præscius: nec Voluntas esse poterit, si in potestate* (nostrâ) *non erit; ergo &* (nostræ) *potestatis est præscius: non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea certior aderit, quia ille, cujus Præscientia*

justè perdurare, etiam dum malo avertendo non amplius prosunt, pariter & Beatorum æterna præmia consistere, etiam dum ad eos in bono confirmandos nihil omninò conferunt. Sed hæc sunt juris Theologici, aut saltem Ethici, quæ nonnisi breviter, uti fecimus, debeant in rem nostram pertractari.

(a) *Vid. Cic. de Fato* (b) *De Exist. Dei t. 1. c. XI.*

(c) *De Lib. Arb. L. 3. c. 4.*

(d) *Vide Aug. de Trin. L. 15. c. 13., & D. Th. 1. p. q. 14. a. 8.*

(e) *De lib. Arbitr. L. 3. c. 3.*

tia non fallitur, *adfuturam mihi esse præscivit*. Generatim enim indissolubilitas, & immutabilitas decretorum Dei pertinet ad certitudinem Providentiæ, quæ a proprio effectu non deficit, neque a modo, quo ille debeat evenire; non vero attinet ad effectuum eorumdem necessitatem: neque rei certitudo cum ipsius necessitate est confundenda. Nam si Deo certum est, Cœsarem regnaturum contingenter, licet hoc, prout est a Deo provisum, sit necessarium, & infallibile, tamen in se consideratum est contingens, atque poterit non evenire, quia ab ordine Divinæ Providentiæ, à quâ uti contingens decretum est, omnino deficeret, nisi contingenter produceretur.

LXXXIII. Inanes igitur auras captabat ipse Tullius opponens (a) = *Si omnia a Deo provisa sunt, certus est ordo caussarum: si autem hoc verum est, omnia Fato aguntur: Si omnia Fato aguntur, nil est in nostrâ potestate* = Non enim intelligebat Divinæ Providentiæ subdi effectus, & caussas, modosque agendi, ita ut omnia Dei Providentiâ fiant, sed interim aliquid sit in nobis, cum à Deo nõnulla tali pacto provisa sint, ut per nos fiant indifferenter, & ipsæ nostræ voluntates in caussarum ordine reperiantur. Ex eo autem, quod nihil Voluntati Divinæ resistat, illud potius rectè deducitur, res omnes fieri contingenter, vel necessariò, uti statutæ sunt; scilicet evenire infallibiliter, & necessariò, quod Divina Providentia disposuerat, ut eveniret *necessariò*, accidere vero infallibiliter, & contingenter, quod Divinæ Providentiæ ratio habet, ut *cõtingenter* eveniat. Nonne in superioribus (b) ex limitatiõe, & mutabilitate Creaturarum deduximus invicto argumento, eas esse contingentes? Sicuti vero Divinæ Præscientiæ, atq; Decreti Vis non tollit contingentiam a rebus, ita nec etiam animi libertatẽ. Robur vero sumit argũentũ, eo quod prudẽtis cujuslibet gubernatio ad perfectionẽ rerũ gubernatarũ ordinetur (c), ita ut, quod habet perfectionis rationẽ, magis, quã imperfectio, atq; defectus, per Providentiam sit conservandum. Jam vero in rebus inanimatis caussarũ contingẽtia redolet imperfectionem, atq; defectum, (solum enim Ens Necessarium est Primum, & undequaque Perfectum): quod autem voĩtas sit caussa indifferens, ejus perfectionem ostendit, quâ virtutem habet ad plura, non vero limitatam ad unum: atque inde magis pertinebit ad Dei Providentiam conservare hanc voluntatis proprietatem, quam contingentiam in causis naturalibus. Quod si ultimò inquiant adversarii cum Bælio, & Voltario, leges Dei, quibus humana voluntas subjecta est, esse æternas, & immutabiles, ita ut non possim non agere, si statutum sit, ut agam, respondetur & Legem de meo Libero Arbitrio esse quoque unã ex hujusmodi immutabilibus, ita ut non possim agere, nisi summâ indifferentiâ, dum ago. Plura vero legesis

(a) *De Divinat. l. 2.* (b) *Num. 62.*
(c) *S. Th. G. S. L. 3. c. 73.*

gesis apud Augustinum, atque Thomam citatis in locis, & alibi, ex quibus ista deduximus.

LXXXIV. At Physica Dei Præmotio, quâ inclinantur ad agendum Creaturæ, expectat modo orationem nostram. Putarunt Origenes (a), Durandus, Aureolus, aliique, concursum Dei ad nostras actiones esse dumtaxat generalem, & mediatum, eum scilicet condidisse Creaturas, iisque virtutem indidisse necessariam, deinceps vero sinere, ut illæ agant, quin in suis actibus adjuventur, sed tantummodo conserventur. Quæ opinio a plerisque Theologis Scholasticis refutata fuit, & jam olim in Pelagio improbata videtur. Interim Ludovicus Pereir a Dola elapso seculo eandem renovare, saltem quoad actus liberos, aggressus est, assentiente præsertim ex Philosophis Bernerio. At iste generalis, & indeterminatus concursus consisteret in solo actu impediendi, & removendi caussas extraneas, quæ valerent destruere Creaturas, non vero in influxu illo Dei immediato perpetuo, quem exigit earumdem Creaturarum dependentia. Ad influxum ergo actualem est recurrendum, qui quidem tripliciter ab aliqua caussa haberi potest, scilicet *moraliter*, dum hæc extrinsece excitat, allicit, invitat exemplo, præceptis, consilio: *simultaneè*, si caussa movens aliam ad agendum videns determinatam, ita cum illâ conjungitur, ut effectus ab utraque simul producatur, quales essent duo homines idem pondus vecte deferentes: *physice* tandem, & *prævie*, quandò caussa movens aliam indifferentem, ac indeterminatam applicat ad operandum, uti præceptor arreptâ pueri manu eam dirigit ad efformandos caracteres. Jamvero neque moralem, neque Simultaneum Dei concursum ad actus Creaturæ sufficere defendunt Thomistæ, sed Physicum, præviumque necessario requiri. Supposito enim, Creaturæ actionê ullam non fieri sine cōcomitante operatione Creatoris, de quo oriri non potest dubitatio, illud erit in quæstione, utrum Dei auxilium determinet Creaturam ad agendum, an actio Creaturæ determinet Dei auxilium ad concurrendum. Hoc autem in casu, si anima Dei auxilium determinaret, adesset in illâ quædam actio anterior, ab auxilio Dei independens, sed nec etiam cum illo conjuncta: unde in ipso actu Creatura haberet rationem primi Principii, quod est absurdum. Prætereà cum sua natura indifferens sit animus ad operandum, vel non, prius transferri debet ex potentiâ in actum, ex indifferētiâ ad peculiarem determinationem, & applicari ad hoc potius objectum, quam aliud amplectendum; quamdiù enim otiosus, & indifferens perseverat, nihil actualiter efficit. Atvero objectum cognitum animæ vim determinare non potest, quod prorsus extrinsecum est, neque cognoscitur, nisi indifferens intelligendi vis ad illud cognoscendum applicetur: neque insuper a se ipso, vel a propria ratione determinatur animus, cum sit indifferens, nihilque agere valeat, nisi prius a sua indifferentia transferatur; unde reliquum erit, ut à

Caussâ

(a) *In 3. Periarchon*

Caufsâ Prima, & à præviâ quâdam Dei motione voluntas ad operandum determinetur (a).

LXXXV. Quemadmodum vero Ordinem Divinæ Providentiæ, Præſcientiam, atque Decretum nullam animæ vim inferre demonſtravimus, pari etiam ratione nihil ex Dei Præmotione ſibi timere poſſe humanam in-

L ter

(a) *Quamvis cum Carteſio admittamus animam perenni veluti motu ſemper aliquid cogitare, atque velle, indifferens tamen erit ad hoc, vel aliud objectum cognoſcendum, & amandum, ita ut ex antecedenti cognitione, & amore etiam transferri debeat in ſubſequētem: unde pariter in ejus ſententia vis argŭenti conſiſtit. Sed hoc in loco nonnulla addenda ſunt. Leibnitzius in ſua Theod. t. 2. P. 1. §. 47. opus non eſſe ait hâc immediatâ Dei prædeterminatione, ſed animam ab indifferentiâ ſuâ extrahi per ſtatum præcedentē, qui illam ad hanc potius partem, quam ad aliam inclinabit. Hoc vero unicè fundatur in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quod falſum demonſtravimus; & quiſque videt, ſtatum quemlibet præcedentem non eſſe ſubſtantiam, neque idcircò agere poſſe in animam, cum à ſolis ſubſtantiis, non vero a modis actio dependeat. Alii vero reponunt, proprium hominis arbitrium voluntatem determinare: ſed non advertunt, illud quoque ſuâ naturâ eſſe indifferens, ut voluntatem applicet, vel non, & idcircò requiri, ut prius ipſum determinetur. Longius equidem progrederer in Phyſicâ Dei Prædeterminatione explicandâ, & demonſtrandâ, ſed me retinet ſuſcepti thematis ratio. Unum vero addo, nos hic vires activas ab Univerſo non eradicare, ideamque confuſam hujus Thomiſtarum ſententiæ præſeferre virum eruditiſſimum Auctorem notarum ad Genuenſii diſſertationem de Rerum corporearum origine, & conſtitutione. Inquit enim §. 19. eandem Thomiſtarum opinionem magnâ doctrinâ, & elegantiâ defendi in citato opere = Actions de Dieu ſur les Creatures = At Gallicus iſte Auctor Malebrankii partes ſuſcipiens contendit, ſolum Deum agere, non vero Creaturas, quod ſupra diffuse confutavimus (num. 11. & ſeq.): nos vero præmotionis Divinæ Defenſores admittimus & Deum agere & Creaturas, quoniam providētia hominis continetur ſub Providentiâ Dei, ſicuti cauſſa particularis ſub cauſsâ Univerſali. Revera ſententiæ noſtræ propugnator acerrimus Auguſtinus clarè aſſerit de Correptione c. 3. = aguntur homines a Deo, ut agant, non ut ipſi nihil agant = & ſæpe ſæpius in Libris de Gratiâ, & libero Arbitrio, de dono perſeverantiæ, & contra duas Epiſtolas Pelagii, atq; alibi aſſerebat = certum eſt* NOS VELLE *cum* VOLUMUS, *ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo ſcriptum eſt: præparatur voluntas a Domino: certum eſt* NOS FACERE, CUM FACIMUS, *ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis: intus in ipſis hominum cordibus operatur, non ut homines, quod fieri nequit, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant: inclinantur eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui mirabili modo operatur & velle, habens ſine dubio humanorum cordium, quocumque placeret, inclinandorum Omnipotentiſſimam Poteſtatem.*

ter plura eligendi potestatem certum est, cum Deus animam præmoveat, sed ut agat absque ullâ necessitate. Hic scilicet fuit error Lutheri, Calvini, atque Jansenii, ut crederent, præviâ Divinitatis, & insuperabili motione cooperandi vim, resistendi facultatem, omne voluntatis arbitrium extingui, eandemque mentem falsò nobis ascribunt Auctores Molinistæ, & quicumque alius a Thomistis in hâc opinione dissentiat. Cum autẽ ostensum sit, ordinem pœnarum, & prœmiorum, item Legis, consiliorum &c., quæ a Deo volita, atque statuta sunt, absolutè requirere, ut homo agat ex proprio arbitrio absque necessitate, Creator huic suæ voluntati non poterit contraire, & movebit hominem ad agendum, sed relinquens ei potentiam ad oppositum, nullam inducet necessitatem. Scio hanc resistendi facultatem exerceri non posse ab animo, nisi prius dissentire voluerit, non posse vero illum velle dissentire, nisi novâ Divinæ Voluntatis motione inclinatus, & applicatus fuerit ad volendum dissentire: sed inde etiam video, quid clarè deducatur, Divinã scilicet motionem non efficere, ut voluntas non operetur, atque si velit, dissentire non possit, sed id præstare solum, ut hæc omnia mens agat dependenter à Deo, & seipsam libere determinet, quia ab illo prædeterminatur absque ulla necessitate. Revera eligimus, quod bonum nobis apparet. Si itaque Dei Præmotio id efficeret, ut intellectus bonum illud apprehenderet tanquam Summum, atque Unicum Bonum, raperet nos ad unum necessariò. Cum vero, etiam positâ Dei motione, apprehendamus bona eligenda tamquam plura, item & particularia, creata, limitata, quis asseret, ita Deum inducere electionis necessitatem? Homo se movet ad agendum: Non tamen hoc est de necessitate Libertatis, ut sit Prima Caussa sui id, quod liberum est, sicuti potest esse aliquid caussa alterius, absque eo quod sit ejus prima caussa. Deus itaque est Prima Caussa movens & naturales caussas, & voluntarias: cum vero sit ejus, rerum naturas non evertere, sed continere, & conservare, easque regere juxta proprium cujuscumq; modum, idcirco, sicut naturales caussas movendo, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo caussas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc facit in eis, operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. Quo in loco advertendum, nobile dominium illud, quod habet anima supra suos actus, unde est in ejus potestate velle simul, & nolle, excludere tantum determinationem virtutis ad unum, & violentiam caussæ exteriùs agentis, non vero excludere influentiam caussæ Superioris, a quâ habet illa tum esse, tum operari. Cum enim violentum opponatur voluntario, cujus nomine intelligitur intrinsecum agendi principium, illud Agens poterit caussare motũ volũtatis absque violentiâ, quod caussat principium intrinsecum ejusdem motus, nempe voluntatis potentiam. Quoniam vero hic est tantummodo Deus, qui animam solus creat; nemo inficiabitur, solum ipsum posse voluntatem movere per modum

dum

dum agentis absque violentia (a).

LXXXVI. Opponi quidem posset cum Molinistis, posita Dei Præmotione dari actum in anima, ideoque auferri indifferentiam, in qua omnis sita videtur humana Libertas. Sed duplex distinquenda est indifferentia, *passiva* scilicet, quæ in actus privatione consistit, *& activa*, sive, ut explicat Leibnitzius (b) *actionis contingentia, & non necessitas*, quæ habet potentiam ad plura. Prima equidem est Creaturarum defectus, quæ ex propria limitatione non semper agunt, neque in ea consistere posset Libertas illa, contra quam arguunt adversarii; in secunda vero elucet verum arbitrii munus, quod nobis a Deo concessum est, & quod hic totis viribus industriæ nostræ defendimus. Si itaque Deus auferat indifferentiam passivam, nos ad agendum determinando, non vero activam relinquens, uti dictum est, potentiam ad opposita, & disparata efficienda, non lædet Libertatem. Fateor equidem, me non concipere evidenter, quomodo hæc Divina Providentia cum humano arbitrio conjugatur. Sed hujusmodi concordiam scio difficilem adeò, & obscuram fuisse Augustino, immo & ipsi Paulo Apostolo, cum Arcanum ineffabile contineat. Nos autem Dei actiones admirari debemus, non perscrutari: a finito enim concipi non potest, quomodo infinitum operetur: sed interim demus aliquid posse Deum, quod nos fateamur investigare non posse. Revera quot evidenter non concipimus, etiamsi nostram ipsam naturam, quæ perpetuò est sub oculis, inspiciamus, & ea tamen, uti vera, defendimus admittenda? Negandum esset animæ, corporisque commercium, negandæ perceptiones rerum corporearum, & alia sexcenta, quorum modum non intelligimus, si deneganda foret humana potestas in suis actibus, eo quod eam cum Divina Præmotione cōciliare nesciamus. Ita respōdebat quoque Cartesius, Divinā Providentiam lumine Fidei, & Rationis hominibus demonstrari, nos itidem de Libertate nostrâ certitudinem nancisci per intimā experientiam, & invictissima argumenta, utramque igitur credendam esse, etsi utriusque conciliandæ via nulla suppeteret; & jurè respondebat, quidquid contrà Bælius opposuisset.

LXXXVII. Neque plura de Fato Catholico, quo Dei Præscientia, Decretum, atque Præmotio continentur, dicenda sunt. Sed hic tantummodo arguēdus impius ille Censor Religionis in exāine supra citato (c) eo quod præsentem, de quâ agimus humanæ indifferentiæ cum Deo Prævisore concordiam oppugnaturus, utramque neget, & futile omnino esse contendat, operam in conciliandis rebus insumere, nisi prius omnis auferatur de

 illarum

(a) *Vide D. Th. 1. p. q. 22., & 83., & c. G. L. 1. c. 68., & L. 3. c. 88. Nemo vero timeat, ex hâc Physicâ Dei præmotione fieri illum culpæ auctorem, quod plures opponunt: vidimus enim num. 68., quomodo Deus ad peccata, defectusque concurrat.*

(b) *Theod. P. 3. §. 302.* (c) *Traitè de la Lib. §. 1.*

illarum existentiâ dubitatio. In angustias Cicero coarctabat animum religiosum, ut unum eligeret è duobus, aut esse aliquid in nostrâ voluntate, aut esse Præscientiam futurorum, hominesque fecit sacrilegos, sed unice, quia cupiebat facere liberos: hic vero inauditâ temeritate & sacrilegos fecit, & necessarios. Cur itaque præscius non poterit esse Deus humanæ voluntatis? Quia scilicet, inquit cum Socinianis, Dei, Astronomique inter se præscientiæ non differunt, cum uterque syderum motus agnoscat; Astronomus vero cursus regulares, & necessarios divinare valet, non irregulares, aut aliquâ, si in Planetis, haberi posset, indifferentiâ peragendos. Oh dementiam singularē! Quis unquam similis Creatori? Quæ nostra proprietas Divinis erit virtutibus conferenda? Dei Præscientia, si ejus Voluntati conjungatur, influit in actus Creaturarum, eosque producit, sive necessarii sint, sive liberi: hominis vero cognitio ab objectis jam existentibus unicè dependet, neque attingit, nisi rerum corticem, quoad ipsa nēpe Divinitas lumen quoddam infirmum in intelligentiâ nostrâ permittat. Anne si homines ipsi ex intensitate externæ objectorum actionis, item à corporis temperamento, animique constitutione, quibus regitur humana voluntas, magnâ probabilitate sæpe sæpius in aliis prævident animorum determinationes, licet indifferentes, anne, inquam, Deus infinitè Creaturis antecellens, nullo unquam modo iisdem potis erit prænoscendis? Sed Atheos dimittamus. Interim tamen concludendum est, neque Fatum Catholicum, neq; ullum aliud animabus necessitatem imponere; & idcirco Dei Providentiam respicientes omnia dirigentem, uti veram admittimus priorem illius sententiæ partem, quæ inveteravit in animis Fatalistarum = *Ducunt volentem Fata* = sed alterum caput omnimodè denegamus = *Nolentē* scilicet *trahunt* = nisi nos eo unice modo trahi posse intelligant, ut ex nolentibus volentes, & volentes quoque liberi efficiamur. Ne vero aliquid in propositâ quæstione attenti examinis diligentiam effugiat, frustrâ nobis Hobesius, atque Spinoza objiciunt, animam ab aliquâ caussa determinari, hanc ab alia, & sic infinitum. Aut enim admittant seriem infinitam Caussarum Democriti, quæ ullo modo non datur, aut procedant ad Deum usque; qui sua Præmotione rationales quoque dirigat Creaturas, quisque intelligit, inutiliter eos divexari, & contrà nos oleum, atque operam, ut inquiunt, amittere. Atque hinc videtis etiam, quid Collinio (*a*) Voltairio (*b*) & Hobesio in quæstionibus de Libertate habitis cum Doctore Bramhallo sit respondendum, qui concedunt hominem efficere, quæcumque velit, sed illum ex Fati necessitate velle credunt. Si enim agit ex concessis, quæcumque vult; si vult absque necessitate ex ostensis; quis illum absque necessitate operari inficiabitur?

§. IV.

(a) *Recherc. sur la Lib. Preface* (b) *Ph. Ign. Doute* 13.

§. IV.

LXXXVIII. HÆquidem sunt caussæ omnes, quæ possent animam in electionibus ad unum necessariò determinare; & hæ potissimum ab adversariis afferuntur ad illius indifferētiam oppugnandam. Si itaque ostensum est, neque ab objectis, quæ appetimus, vel adversamur, neque ab interna animi natura, neque a constitutione corporis, cui illa conjungitur, neque a Fato aliquo, veluti à Caussa Universali, volitionibus nostris vim inferri, concludere certò possumus, nullam omninò in nobis haberi necessitatem. At Spinoza caussas alias occultas, & incognitas esse jactitat, quæ in animam agant necessariò = *Concipe enim*, ait (*a*), *jam si placet*, *lapidem*, *dum moveri pergit*, *cogitare*, *& scire se*, *quantum potest*, *conari*, *ut moveri pergat*. *Hic sanè lapis*, *quandoquidem sui tantummodo conatus est conscius*, *& minimè indifferens*, *se liberrimum esse*, *& nullâ aliâ de causâ in motu perseverare credet*, *quam quia vult*. *Atque hæc humana illa Libertas est*, *quam omnes habere jactant*, *& quæ in in hoc solo cōsistit*, *quod homines sui appetitus sint conscii*, *& caussarū*, *a quibus determinantur*, *ignari*. = At concedamus Spinozæ hypotesim, cui similem efficit ad idem probandum Bælius in responsione ad quæsita Provincialis (*b*), de bractea versatili ventorum indici. In eo autem casu quamvis agnosceret lapis, se moveri, deque suo conatu conscius esset, nequiret nihilominus advertere, se in motu positum indifferentem esse ad motum simul, atque quietem, sicuti dum agit homo, non solum se agere agnoscit, sed plene dominum se esse sentit, ut agat, vel quiescat, ut hoc eligat, vel aliud disparatum, atque contrarium. Aliud est enim sentire propriam actionem, aliud illā prorsus esse indifferentem, animadvertere. Revera licet intimè sentiam eundem in homine animū velle felicitatem, atq; Physicæ studium, nihilominus in Beatitudinis appetitu sentio necessariam esse voluntatem, neque ex deliberatione, consilio, electione moveri, immò & nullam habere potentiam ad oppositum, sed non item in secundo. Non itaque Dominos nostrorum actuum nos esse credimus, quia eorum conscii sumus, & caussas, a quibus cogimur, ignoramus; sed quia experimento, & ratione sentimus nos eligere, prout ex ratione boni, vel mali propria placuerit, & ita unum amplecti, ut sit in nostra potestate illud ipsum refutare. Unum denique addo, quod acutissimè observabat vir illustris Sacra Doctrina, & Christiana Philosophandi ratione Valsechius in suo opere de fontibus Impietatis, Religionisque fundamentis (*c*): Si scilicet hujusmodi caussæ, quæ nos determinant, sunt incognitæ, & ut alibi Fatalistæ ajunt, imperceptibiles, insensibiles, quomodo eas agnoscit Spinoza, quomodo eas est unquam perscrutatus? Non quidem inti-

(a) *Epist. 62.* (b) *C. 140.* (c) *L. 1. c. 6. num. 9.*

mo ſenſu, quo contrarium potius eſſe ſentimus, ſed nec etiam ratione aliqua extrinſeca, quia nullam vim habent ex oſtenſis, quæ a Spinoza ad hoc probandum adducũtur. En methodus ratiocinãdi in adverſariis. Contendit Spinoza non adeſſe id, quod omnes eſſe ſentiunt, quia credit Rem adeſſe, atq; Cauſſam, quam nec ipſe, nec alii unquam ſenſierunt.

LXXXIX. Hobeſius vero ex Creaturarũ limitatiõe arguẽs (a) nihil, ait, a ſe poteſt incipere, ſed hoc initium haberi debet ab actione alicujus immediati, & exterioris agentis. Si itaque homo vult aliquid, quod prius nolebat, cauſſa non erit in ejus voluntate, ſed in alio extra hominis arbitrium. Quæ quidem difficultas a D. Thoma olim propoſita (b) nil continet falſi, ſed contra nos non concludit. Cum enim objecta externa animum invincibiliter movere nequeant, reliquum eſt, ut ſolus Deus ſua præmotione voluntatem determinet, quod nos concedimus, immo in ſuperioribus abſque ulla arbitrii læſione demonſtravimus. Nec diſſimili pacto reſponderat D. Thomas, ut neſciam, quæ frons ſit in adverſariis, refutatas olim objectiones abſque novis contra reſponſa tradita difficultatibus reproducere. At Hobeſius idem (c), & poſt ipſum Collinius in ſuis diſquiſitionibus de Libertate, ad hujuſmodi Superiorem, Primamque Cauſſam non attendendum eſſe clamant, ſed unicè ad alias inferiores, quæ animam neceſſariò determinent. Cum enim nihil ſine cauſſa ſufficiente fieri certum ſit, omnem cauſſam ſufficientem contendunt eſſe neceſſariam quia ſcilicet ſi neceſſariò effectum non producat, id erit ex defectu alicujus rei, quâ ad illud producendum indigeat, unde non erit amplius cauſſa ſufficiens. Hinc & actiones voluntariæ, & quodcumque aliud a ſufficiente cauſſa derivatum neceſſariò producetur. At hic ludere adverſarium in verbo neceſſarii, animadvertebat Bekius (d). Cauſſa ſufficiens ſemper eſt neceſſaria eo ſenſu, quod ſine illa effectus oriri non poſſit: effectus vero non ſemper eveniet neceſſariò, niſi quando ſua cauſſa patitur, & non agit, vel ſi agat, ad illud unum abſque facultate ad oppoſita, & diſparata determinetur. Quæ quidem cum animæ non conveniant ex oſtenſis, erit illa ſuorum effectuum cauſſa ſufficiens, non autem neceſ-

(a) *Vide Doctorem Harriſium = Reſponſe aux difficultès, que forment les Atheès ſur l'exiſtence, & les attributs de Dieu part. 3. = & Clark. de Exiſt. Dei t. 1. c. XI.*

(b) *S. Th. q. 6. de malo art. unico in corpore ait = Cum ergo voluntas quæ ſe conſilio movet, non ſemper voluerit conſiliari, neceſſe eſt, quod ab aliquo moveatur ad hoc, quod velit conſiliari. Et ſi quidem a ſe ipſa, neceſſe eſt iterum, quod motum voluntatis præcedat conſilium, & conſilium præcedat actus voluntatis. Et cum hoc in infinitũ procedere non poſſit, neceſſe eſt ponere, quod quantũ ad primum motum voluntatis moveatur voluntas ab aliquo exteriori, cujus inſtinctu voluntas velle incipiat = & ibidem argum. II. repetit eandem objectionem ex mente Auguſtini in I. de Trinitate.*

(c) *Vide locis citatis.* (d) *De hom. Lib. c. 11.*

necessaria. Quod si de ipsâ mente non loquatur Hobesius, sed objectorum externorum impressiones intelligat esse volitionũ caussas sufficientes, atq; unà necessarias, ulteriori responsione non indigemus, cum equidem Agens eo tantum casu moveat aliud ex necessitate, quando superet virtutem passivi; nullum autem bonum creatum ostensum est voluntatis virtutem superare, quæ potentiam habet ad Summum, & Universale Bonum, a quò unicè movetur necessariò. Equidem omnis caussa sufficiens effectum necessariò producit, nisi adsit quædam potentia, quæ illius actionem impediat. Cum autem humanus animus ex demonstratis, possit externis objectis, a quibus movetur, impedimenta præstare, vel eorum ideas removendo, vel oppositorum consideratione repræsentans sibi uti malum, quod esse bonum apparebat, cur objectorum eorumdem impressiones vocabimus caussas necessarias? (a)

XC. Quibus positis concludendum est I. in volitionibus, atque nolitionibus hominum animas agere, neque se habere merè passivas. II. hanc animæ actionem ad unum tantummodo non determinari, sed esse indifferentem ad plura, ita ut poni possit, & auferri, iisdem manentibus semper externis requisitis. Hic autem agendi modus ille est, quem voco *Liberum*: quæ vox si adversarios offendat, ut mutetur ab illis, non repugno, dummodo hominem ita agere ex propriâ conscientiâ, & tot adductis rationibus fateantur. Videtis autem hominis libertatem intimo usque adhuc sensu probatam a nobis, in quo argumento præcelluit Dominus de Fenelon in demonstratione Divinæ Existentiæ, ubi ait inter cœtera (b) = *Sentio me liberum esse ad sedendum, dum surgo, tantâque certitudine id sentio, ut mentirer contrà me ipsum, si oppositum effutirem. Hominis vero Libertatem vocare imaginariam, hoc est suffocare vocem, sensumque naturæ Universæ, hoc est impudenter mentiri, & exterius negare id, quod interius pro certissimo habetur: hoc est velle, ut homo credat, se non posse inter duo unquam*

(a) *Ab eodem sæpius laudato D. Thoma postremam hujusmodi responsionem desumpsimus, quâ ille utitur de malo q. 6. a. un. ad 15., ubi eandem Hobesii difficultatem sibi opposuerat. Objectionis autem verba referimus, ut tandem aliquando id omnes intelligant, quod sæpius dictum est, nihil novi attulisse adversarios, qui hoc seculo habentur uti ingenia ad difficultates de rebus quibuscumque inveniendas unicè effecta, nec eos contrà Libertatem potuisse decertare, nisi propriæ conscientiæ stimulos suffocando. Videbant enim argumenta ipsa esse dissoluta, nec interim, quid responsionibus hisce opponendum esset, habebant. = Si voluntas itaque, inquit loco citato D. Thomas, aliquid determinatè vult, (oportebit) quod sit aliqua caussa, quæ faciat ipsam hoc velle. Caussâ autem positâ necesse est effectum poni, ut Avicenna probat, quia si caussâ positâ adhuc est possibile, effectum non esse, indigebit adhuc alio reducente de potentiâ in actum, & sic prima non erit sufficiens caussa: ergo voluntas ex necessitate movetur ad aliquid volendum. =*

(b) 1. P. *num.* 66. & 87.

unquā eligere, de quibus passim ex bonâ Fide deliberat. = Hinc Libertatem eandē, inquiebat Augustinus (a), cantari a pastoribus in montibus, a Poëtis in theatris, ab indoctis in circulis, a doctis in bibliothecis, a magistris in Scholis, a Pontificibus in templis, a genere humano in orbe terrarum.

XCI. Nos indifferentiam agendi in nobis ipsis e se sentimus. Aut ergo, ut ad hominem cum adversariis argumenter, id credimus necessariò, vel non. Si primum: est ne id falsum, quod nobis necessitas Physica, & ineluctabilis persuadet? Si alterum: aliquid ergo aderit fine dubio, quod credimus, atque sentimus absque necessitate. Jactitet modo Voltairius Dictionarii Philosophici sæpe citato Libertatis articulo, in quo sibi opponit, omnes communiter hanc intimam in se ipsis Libertatem confiteri, jactitet, inquam, proverbia hujusmodi, & adagia communia Philosopho non esse rationes. Est ne sine evidentissimis argumentis communis ista populorum fundata vox, & intima conscientia? Nos innumerabiles penè rationes adduximus; immo absque eo quod animæ essentiam, intimamque naturam agnoscamus, eam Liberam esse demonstravimus, quod eidem Voltairio apud Nonnotte impossibile videbatur. Argumētati scilicet sumus a posteriori ex propriâ conscientiâ, ex merito, demerito, pœnis, prœmiis, atque legibus: argumentati quoque sumus eo, quo potuit fieri, modo a priori, ex deficientiâ bonorum hujus mundi, & repræsentatione objectorum quadantenus bonâ, & quadantēus malâ. Quod si quærat Antonius Collinius (*b*) unde id eveniat, ut in re, quam adeò perspicuâ veritatis luce evidentē esse defēdimus, tanto deinde animi conatu nos philosophemur, & pluribus abhinc seculis alii penè innumerabiles philosophati sint, sciat, duo esse in qualibet quæstione secernēda, existentiam scilicet phenomeni, & caussas, naturam, atque leges, quibus in Universo producitur. De existentia humanæ Libertatis nemo dubitat, si sanus est, nec illi ipsi, qui exterius inficiantur, ad quorum unicè retundendam temeritatis impudentiam, & ne simplices deciperentur, nos eam tot argumentis, aliàs inutilibus, conati sumus demonstrare. De naturâ vero, & Legibus Libertatis philosophati sunt plurimi, & adhuc nobiscum philosophantur. Sed hoc ejus absentiam non arguit, uti corpora, atque animos dari non negamus, de eorum vero naturâ, & proprietatibus perpetuò differemus.

XCII. Hæc est itaque idea Libertatis, quam efformari non posse clamabat Helvetius (*c*), quamque interim omnes sanâ mente Philosophi habuerunt, & cui varia nomina ex iis, quæ nos adduximus, conciliarunt. Liberum enim arbitrium nil esse aliud, quam vim electivam dixere Scholastici: sed quia hæc animæ electio ab externa causâ invictè non determinatur, induxerunt *Libertatem Spontaneitatis*, sivo a *Coactione*: quia vero neque ab interno motivo, scilicet a ratione boni, vel mali propriâ, neque

(a) *De Duab. Animab. c.* 11. (b) *Rech. sur la Lib. p.* 262.
(c) *De l'espirt. discours* 1. *ch.* 4.

que ab animæ ipsius naturâ dependent necessariò, vocarunt Libertatem à *necessitate naturæ*: & quia denique sic agit animus, ut possit non agere, dixerunt adesse *Libertatem exercitii*, atque ita de aliis (*a*). En autem doctrinas D. Thomæ, atque Scholasticorum, quibus quid clarius dici possit, non invenio, & quibus omnia Collinii, Hobelii, Spinozæ, aliorumque sophismata confutantur. Quod si eosdem adversarios singularis impudentiæ notâ nolimus inurere, id saltem dici potest, eorum errores non nisi ex Libertatis ideâ malè intellectâ originem duxisse, cum intimo sensu eam apertissimè cognoscere debuissent. Revera Voltairius idem, actiones hominum esse liberas, non autem voluntates, effutiit tum in Dictionario, tum in suo Philosopho Ignaro locis sæpe citatis, rationemque adducebat, quia scilicet si fiant actiones, indicium erit eas posse fieri, voluntates autem adimplere non est semper in hominum facultate. Sic infelix apoplexiâ tactus, si periculo ignis, aut aquæ, vel pro tigno tormenti bellici exponatur, quamvis velit, nullo unquam pacto valebit effugere. In hoc itaque casu confundit vir acutus possibile, atque liberum, itemque suo jure plenam, quam nos defendimus, animæ intentionem & possibilem, de quâ locuti non sumus, volitionum executione. Spinoza vero quæstiones omnes Syntheticis definitionibus resolvens, an magis, magisque implicans, nescio, cum Ens Liberum definivisset esse, *quod existit naturæ necessitate*, quomodo poterat hominibus non adimere Libertatem? Sed jam sentio me longiùs esse provectum, quam proposita ratio postularet: verum admirabilis compositio quæstionis, incredibilisque rerum traxit ordo. Sit itaque finis: neque enim ulteriori probatione indigent, quæ proposuimus, neque pleniori refutatione, quæ contrà nos afferuntur; licet tot etiam addi possent, & à pluribus aliis addita sint, quot fortasse nec unicâ, nec multiplici oratione complecteremur. Illud vero restat, ut disputandi gratiâ ex caussæ visceribus nonnullas Theses exponamus, quæ & ordinem, & materiam Dissertationis Universæ demonstrent, & Auditoribus arguendi locum aperiant. Sunt autem quæ sequuntur.

I. Leges

(a) *Fons itaque Libertatis a coactione est, quod motiva immediata, quibus determinamur, sint propriæ rationes boni, atque mali per appetitum operantes: fons vero indifferentiæ a necessitate naturæ est imperfectio bonorum, malorumque objectivorum, de quibus idcircò electio necessaria esse non potest. Hinc quidquid rationem perficit, illud magis a coactione nos eximit, magisque reddit indifferentes, & quò nobilius ratio extenditur, eò plura efficimus ratione, non autem naturæ impetu, aut adfectibus. Merito itaque dicimus a scientiis perfici Libertatem, unde asserebant veteres, Sapientem hominem solum esse Liberum* (Cic. Paradox. 5.), *meritoque idem contendunt de Lege, & Gratiâ Theologi.*

I. LEges, quas Universaliter sequi debent caussæ Mechanicæ, non observantur in pluribus Animarum Humanarum actionibus.

II. Et primò Volitiones, atque Nolitiones ab alio agente non fiunt, in Anima, tanquam in subjecto, vel instrumento inerti, sed ipsa Mens est earum caussa totalis efficiens.

III. Unde immeritò vim omnem activam tum animabus, tum cœteris Creaturis abstulit Malebrankius in systemate caussarum occasionalium.

IV. Falsò etiam Materialistæ mechanicis corporearum partium motibus Animi Voluntates, internasque adfectuum decertationes conantur explicare.

V. Sed insuper hæc Animæ actio, quam vere dari defendimus, est etiam Libera, sive non necessariò ad unum, uti in corporibus, determinata.

VI. Equidem ad felicitatem comparandam, Summumque Bonum clarè in se visum, aut etiam genericè spectatum ex propria natura tendunt omnes, in eâque re sunt necessarii.

VII. Sed inde deducitur bona, & mala hujus mundi, quæ finita sunt, & multiplicia, animam non rapere necessariò.

VIII. Quia igitur objecta, quæ appetimus, vel adversamur, neque sunt Summa Bona, neque Summa Mala, relinquunt in nobis Libertatem Contradictionis: quia vero ex corruptæ naturæ ratione repræsentari possunt sub falsis ideis boni, & mali relativi, producunt Libertatem Contrarietatis.

IX. Hinc Animæ humanæ in eligendo nullam patiuntur coactionem ab externis objectis.

X. Sed neque idea Boni, vel Mali genericè sumpta, aut inquietitudo, quæ ex rerum concupitarum absentia excitatur, neque motiva ulla intellectus hominem in electionibus rerum peculiarum necessariò determinant.

XI. Hæc enim omnia sunt potius fulcra Libertatis, quibus anima rationabiliter agens regitur in eligendo: & propria intellectus cujusque Ratio non destruit, sed gignit Voluntatis indifferentiam.

XII. Idem intelliges de animi constitutione, quæ ex habitibus, sive intellectualibus, sive moralibus oritur, de idearum ligamine quocumque, deque corporis temperie, & cerebri motu, quæ sunt veluti concaussæ quædam ad regendas Voluntatis inclinationes, non vero ad eas uniċè, & necessariò determinandas.

XIII. Libera idcircò est Anima in suis electionibus à necessitate Naturæ.

XIV. Si vero ad Caussas quascumque Universales, quæ contrà nos adduci possunt, attendamus, nulla ex eis necessitatem animabus valet inducere.

XV. Non

XV. Non equidem Casus, atque Sors, & Fortuna, quæ sunt pura nomina ab Ethnicis, Atheisque ad ignaros decipiendos invecta.

XVI. Non Fatum a Democrito, a Stoicis, a Spinoza inventum, quorum systemata infinitis penè refutari possunt argumentis.

XVII. Non Principium illud Malum in Materiâ a Platone inductum, quod Manichæi, atque Bælius ad mali originem necessariò admittendum credidere, quoniam suppositâ Dei Summè Boni Unitate, & essentiali Creaturarum limitatione, malorum omnium origo explicatur.

XVIII. Non denique Syderum, & Planetarum situs, aut corporum quorumcumque Superiorum actiones. Hæc enim directè supra humanum corpus possunt vim habere, supra animam vero nonnisi indirectè influent, & ad modum caussæ regentis voluntatem, non determinantis.

XIX. Divina vero Providentia, quâ Dei Præscientia, Decretum, atque Physica, uti ajunt, Præmotio continetur, nullam humanis animis necessitatem inducit.

XX. Et quamvis id a priori nequeamus ostendere, a posteriori tamen ex Legibus scilicet, Vitiis, & Virtutibus, Merito atque Demerito, Proemiis, & Pœnis, quæ omnia a Deo statuta sunt in Universo, illud invicto argumento deducimus.

XXI. Cœteris autem Spinozæ, atque Bælii incognitis caussis refutatatis, quæ Animæ vim ullam possent inferre, sartam undequaque, atque tectam homini Libertatem inesse concludimus.

ERRATA CORRIGE

P. 7. v. 30. expedior	experior
P. 7. v. 33. Pyrronismus	Pyrrhonismus
P. 8. v. 10. per expedita	perexpedita
P. 8. v. 13. quasi vellent, ex seipsis	quasi vellent ex seipsis:
P. 9. v. 21. aversario	adversario
P. 11. v. 21. Gregorius	Georgius
P. 11. v. 22. Phsycologia	Psychologia
P. 13. v. 17. annihilarentur	annihilentur
P. 16. v. 17. dilatiari	dilatari
P. 19. v. 29. coagulas, tum in efferveiscẽtijs	coagulis, tum in effervescentiis
P. 20. v. 18. nostrum	nostrorum
P. 22. v. 18. acquiramus	adipiscantur
P. 44. v. 3. in adæquata	inadæquata
P. 44. v. 4. habænæ	habenæ
P. 44. v. 5. consistuunt	constituunt
P. 46. v. 3. Principis	Principiis
P. 50. v. 32. physionomià	physiognomià
P. 51. v. 32. hypotesim	hypothesim
P. 53. v. 1. minis	nimis
P. 65. v. 27. Philolophicis	Philosophicis
P. 71. v. 24. débordemetns	débordements
P. 75. v. 31. qu' il luppi plait	qu' il lui plait
P. 89. v. 1. dependent	dependet